





m. 17.

S. M. 1, 94.





911.7

<sup>J. J.</sup>  
COLLEGII POLITICI  
DISPUTATIO PRIMA  
*De*  
POLITICÆ  
CONSTITUTIONE,  
*PRÆSIDE*

M. JOHANNES MANITIO,  
Sereniss. Elect. Sax. Alumno,

IN ELECTORALI AD ALBIM ACADEMIA  
*publicæ ventilationi submissa*

JOHANNES HEINRICO CAUDERBACHIO  
Radebergâ Misnico  
*Die 13. Febr. Anno 1664.*  
*In Auditorio Minori.*

---

WITTEBERGÆ,  
Literis JOHANNIS RÖHNERI





COLLEGIUM POLITICUM  
DIRECTORIO RYMA  
POLITICAE  
CONSTITUTIONE


PRÆSIDIO  
M. JOHANNIS MANITIO,  
Secretarius Elect. Sax. Alumno,  
IN ELECTORALI AD ALBAM ACADEMIA

publica-entia-ioni fabrika  
JOHANNIS HEINRICH CAUDERBACHIO  
Radebergi Millico  
Die 13. Febr. Anno 1664.  
In Auditorio Minor.

WITTEBERGÆ  
Lucus JOHANNIS RÖNNERT






 Ravissimum & omni laude majus illud *M. Antoini Imperatoris* effatum est, quod ipse cognomine Philosophus de Philosophia ejusq; sectatoribus protulit: *Tunc fore fortunatum Imperium, cum Philosophi dominarentur, aut dominantes Philosopharentur*, prout illud memoriæ prodidit *Eusebius lib. IV. hist. Eccles. c. 14.* Judicium hoc Principe dignum, & verum maximè de ea Philosophiæ parte, quæ non circa speculabilia, sed agibilia; non circa divina aut necessaria, sed humana & contingentia versatur; quæ acquiescit non in theoria, sed in praxi; non in subtilium & minus sæpè utilium quæstionum scrupolosâ tractatione, sed in arduarum & maximè ponderosarum rerum constitutione & ad vitam publicam applicatione. Hæc namq; Dux & Moderatrix est vitæ civilis. Hæc est, quæ homines à ferâ agrestiq; vitâ primitus abduxit & in unum locum congregavit, ac ut honestam, justam & tranquillam inter se vitam agerent, leges civiles condidit, Magistratus ordinavit, judicia constituit, ut his tanq. frenis in gyrum rectæ rationis ducerentur & disciplinæ jugo subicerentur. Breviter: hæc est, quæ Rempublicam rectè constituit & constitutam rectè administrat. De Republica agit, circa Rempublicam versatur ac propter Rempublicam suscipit, quicquid suscipit. Hæc itaq; Philosophiæ pars, cum totam Philosophiam Imperio quodam coërceat, toti eidem ejusdemq; Professoribus halcyonia tuta præstet, stipendia dispenseat atq; sub alis quasi foveat, ac protegat, digna omninò erit, quæ diligentissimè pertractetur, assiduò labore doceatur, Juventuti teneræ sedulò inculcetur, ut ita à teneris asvescant laudabilem in Republica vivere vitam, ac postmodum DEO Patriæq; Prudentiâ & consiliò inservire ac prodesse queant. De hac itaq; Philosophiæ parte nobilissima, quùm disputationibus aliquot publicis agere constitutum animo sit, laterem haud lavabimus, si primò quoad præcepta paulisper solliciti in iisdem explicandis occupemur, & deinceps ex iisdem utiles quasdam quæstiones breviter discutendas inde eliciamus & deducamus, quia sic non tantum



hujus Doctrinae naturam tractabimus fideliter, sed & antago-  
 nistarum strophas diluemus dextre & feliciter. In Auto-  
 torum allegatione proluxa & ambitiosa multi non erimus,  
 Prora & puppis nobis erunt Praeceptores nostri Excellentis-  
 simi, praesertim Plur. Rev. Dn. D. Wendelerus, Promotor no-  
 ster optimus, in scriptis suis vel auro contra aestimandis.  
 Annitemur eò omni studio, ut rerum multitudine, at verbo-  
 rum paucitate ac brevitate recommendabiles nos benevolo  
 sistamus Lectori. Veneramur autem in antecessum merito sum-  
 mum Numen, ut vires animi & corporis nobis largiri, nosq; cum  
 Republica nostra periculosissimis hisce temporibus tutos, salvos ac  
 sospites praestare velit. Reprimat sanctissimum Numen ac con-  
 fundat consilia cruenta & machinationes violentas communis  
 Christiani nominis hostis, infensissimi Turcarum Tyranni, contun-  
 dat ejus Vires ac dissipet coadjutores Tartarorum copias, ponat  
 eis circulum in naribus & frenum in labiis eorum, reducatq; eos  
 in viam, per quam venerunt. Quod si verò ita visum fuerit di-  
 vine Providentiae, ut juxta Prophetarum praedictiones montes  
 Israëlis conscendere debeat immans ille Vastator & Latro cru-  
 delis: Largiatur etiam Numen benignissimum istarum divinarum  
 praedictionum eventum ac complementum, ut in montibus Israëlis  
 unà cum suo Exercito sanguine sanctorum jam commaculato, il-  
 lamq; hirudinis istar sitiente cadat, precipitetur ac judicetur; No-  
 bis verò suo populo sanguine Filii unici redempto concedat pacem  
 & tranquillitatem longævam, tutaq; nobis praestet halcyonia,  
 ut Ecclesia Christi hostibus jam undiq; cincta iterum liberetur ac  
 Nomen ejus in eadem celebretur, totaq; adeò Respublica in exopta-  
 to flore subsistat ac conservetur. Id faxit clementissimum Numen!

SECTIO I. Θετική.

Θέσις I. Politica est Philosophiae practicae pars  
 specialis, quae ad rectè constituendam administrandam  
 quæve Rempubl. nos informat.

Εκθεσις I. Politica dicitur vel ἀπὸ τῆς πόλεως à civitate,  
 unde etiam dicitur πολιτικῆ civis; vel ἀπὸ τῆς πολιτείας ab ipsa  
 forma, secundum quam Respubl. administratur. Hinc etiam  
 dicitur



dicitur πολιτικόν quod ad civilem conversationem colendam aptum natum est. Item πολιτικῶν πράξεις civiles actiones, Item ἱ πολιτικοὶ, homines, qui in Republicæ administratione rectè versantur, vel hæc civili scientia præditi sunt.

2. Sumitur vocabulum Politicæ non pro naturali, quæ homo naturâ est ζῶον πολιτικόν; neq; pro experimentalis, quatenus quis diu in Politia vixit, & longâ experienciâ didicit bene & civiliter in eadem versari; sed pro artificiali, eaq; non Systematica, qd. in libro continetur & manu teritur; sed habituali prout est in habitu & intellectu ipsius Politici: non quidem in intellectu theoretico, quum in theoria acquiescat minimè, sed Practico, quatenus Politicus ea, quæ ex præceptis didicit, ad usum postea publicum applicare studet. Atq; sic Politica notat habitum Rempubl. bene constituendi & administrandi constitutam.

3. Vocatur *Architectonica & Domina*. Platoni dicitur, omnium disciplinarum constitutrix. Socrati Scientia regia, Philosopho Scientia civilis, Princeps atq; Regina artium, & qui sunt alii tituli honorarii, quibus hæc nostra insignitur passim Politica. Nuncupatur verò Domina, quia imperium exercet practicum, non tantum in alias disciplinas, sed & in superiores facultates, quum non tantum doceat, quales in civitate scientias esse, quales quemq; civem discere & quousq; oporteat; sed etiam aliarum facultatum scil. militaris, Oeconomicae, Rhetoricæ & Jurisprudentiæ ministerio utatur.

4. Genus Politicæ respectivum in datâ insinuatur definitione, cum absolutum haberi vix queat, quia tota Politica, quanta quanta est in praxi atq; sic in τὸ referri ad aliud consistit. Si quis verò Prudentiam (quæ alias ex mente Philosophi Practicæ Philosophiæ Synonymum est) pro genere Politicæ absoluto venditare velit, nos repugnantes non habebit.

5. Dicitur verò *Practica Philosophia pars* a differentiam Philosophiæ theoreticæ, quippe quæ non ad praxin tendit, sed in Theoria subsistit. Hæc autem nostra, ut tota Philosophia practica, ita quàm maximè nobilissima ejus pars hæc ad praxin pergat & tùm demum acquiescit.

A 3

6. Addi-



6. Additur *pars*, ubi non intelligitur *pars essentialis* five *materialis* five *formalis*, tales quippe partes *physicas* Politica tanq. accidens non habet, utut ἀναλογόν π loco *materiae* & loco *formae* habeat, *Objecti* nempe *materiale* atq; *formale*; *sed integralis*, non ac si *Philosophia Practica* totum aliquod *integrals* *Physicum* foret, sed quia itidem *per analogiam* tale totum est, ideo & tales partes habeat necessum est.

7. Subnectitur porro *specialis pars*, quia *Ethica* tanq. *pars generalis* hanc quoq; *specialem* requirit partem; non quidem eam, quæ *Patremfamilias* informat ad *domum rectè gubernandam*, sed eam, quæ *virum Politicum* informat ad *rectè constituendam* & *administrandam Rempulicam*.

8. Reliqua definitionis verba continent *objectum*, atq; *finem Politicæ*, de quibus in subsequentiis thesibus jam ordine acturi sumus.

Θέσις II. *Objectum Politicæ verum & adæquatum est Civitas.*

Ἐκθεσις I. Sermo nobis hic est *de Objecto seu de materia circa quam*, non *de subiecto*, quod alias *vel predicationis*, cui annectitur *prædicatum* in propositione; *vel denominationis*, quale *subiectum* hic homo est, qui per *præcepta Politica* vel *informandus*, ut in *Republicâ* *decenter vivere* queat, vel qui jam *informatus* est, ita ut à *Politica Politicus* dici ac *denominari* possit.

2. Deinde *per Objectum non intelligimus Objectum aliquod effectiois*, circa quod artes, in illo aliquid efficiendo versantur, quale *Objectum* respectu *architecti* est *lignum*, respectu *aufabris aurum*, respectu *sutoris corium*, &c. neq; *contemplationis objectum*, quod *habitus speculativi* nudè illud cognoscendo pertractant; *sed actionis*, quale, sicuti *tota Prudentia*, ita & in specie hæc *nostra* sibi *vendicat Politica*.

3. Quemadmodum verò *in omni objecto*, ita quoq; in hoc *considerandum tum materiale, tum formale*. *Materiale* civitas est, prout *ine ordine spectatur*; *formale* verò quæ ut *ordinem* habens seu ut *ordinata* consideratur, atq; sic βίη τῆς πόλεως i.e. *vita Civitatis* appellatur à *Philosopho* lib. 4. Pol. cap. 11

4. Notan-



4. Notandum prætereà, quod *Civitas considerari possit vel in concreto, vel in abstracto*, Civitas objectum Politicæ est non in concreto, quæ hæc vel illa Civitas est; sed in abstracto & præcisè spectata, h. e. non consideratur hic Civitas in Individuo, sed in specie, quæ ab omnibus Individuis communem aliquam naturam abstrahit, atque eandem menti considerandam & certo postmodum Individuo applicandam proponit.

5. Hoc verò objectum Politicæ adequatum esse ex natura objecti Practici facillimum probatu est: Objectum namque practicum ex mente Zabarella lib. 1. de nat. log. & Piccol. introd. civil. doctr. c. 4. illud est, in quod disciplinæ practicæ operantur, cuique finem ingenerant. Hinc jam argumentamur: In quod Politicæ tanq. pars Philosophiæ Practicæ operatur, cui iidem finem ingenerat, illud ejus adequatum est Objectum; Atque in Civitatem Politicæ operatur, eique finem ingenerat. Ergo Major, sicuti dictum, ex conditione & natura objecti Practici suam radiat lucem; Minor verò inductione per totam patebit Politicam. In Civitatem enim Politicæ operatur, partim ratione constitutionis, ut ex societatibus simplicibus atque compositis eandem constituat; partim ratione administrationis, ut eandem sic constitutam ritè gubernet ac conservet. Ingenerat quoque Politicæ civitati finem, tum externum, ut eadem beata sit & benè floreat; tum internum, ut Respubl. in esse suo conservetur, & cautè caveat ne per vim quandam externam corruat aut transmutetur. Docet itemque Politicæ, quo pacto Civitas legibus honestis coordinanda & conjugenda sit ad bene honesteque vivendum.

Θεοις III. Causa Politicæ Efficiens Primaria Deus est; secundaria sunt ipsi homines seu hominum natura.

Ενθεοις I. Sicuti totius Philosophiæ, ita dubio procul ipsius quoque Politicæ causa prima DEUS erit. Ut enim omne bonum desuper à Patre luminum; ita etiã Philosophiæ & Politicæ donum Dei est eximium. Jehova namque dat sapientiam, & ex ore ejus egreditur cognitio & intelligentia, ait sapientissimus mortalium, Proverb. 2.

2. Non



2. Non g. illotis, quod dicitur, manibus, Politica tra-  
ctanda, sed præmissis semper ad DEum precibus, tradenda  
eadem, docenda atq; discenda. Hic enim nisi det honestatis  
amorem, hic nisi excitet scintillulas & reliquias divinæ ima-  
ginis, nostrisq; conatibus benedicat, frustra erit labor omnis,  
nec unquam nostris in actionibus felicitatis laudem conseque-  
mur, nec ejus commoda persentiscemus.

3. *Secundaria & particularis causa est ipsa natura*: Na-  
tura namq; docet, suum cuiq; esse tribuendum, honestè vi-  
vendum, neminem lædendum. Neq; tantum hæc complexa  
nota sunt è natura principia, sed & maximè incomplexa, qua-  
lia sunt ipsa natura, informatio & exercitatio.

4. Quod natura tale sit principium jam constat, quum  
ex illa fluant dicta principia complexa. Per informationem  
verò voluntas nostra in gyrum rectæ rationis deducitur & ad  
obsequium manu quasi ducitur. Ad hanc pertinent *probi*  
*Præceptores* dexteritate pollentes, qui non solum præcepta  
practica rectæ rationi congrua inculcare, eaq; exemplis ho-  
nestis & virtuosis illustrare, sed & habito circumstantiarum  
respectu discipulos modò seriis & severis admonitionibus  
atq; correctionibus compellare, modò lenibus verbis ad pro-  
bam & honestam vitam ineundam & exercendam allicere  
norunt. Requiritur etiam *Libri à probatissimis scriptoribus*  
*editi*, quibus tutò fides possit adhiberi. Non sanè parum no-  
stris debemus prædecessoribus, qui ea, quæ ab antiquioribus  
obscurè erant proposita, perspicua satis reddidere. Hinc infor-  
mationem accedat quoq; *exercitatio*, necessum est. Hæc enim  
ipsa est, quæ honesta semina nostris in cordibus latentia sedu-  
lâ culturâ subiguntur, consistitq; in Præceptorum applicatio-  
ne, propriâ operatione, cum viris probis & prudentibus con-  
versatione, eorumq; imitatione.

§ IV. Finis Politicæ duplex est, Internus, qui  
est Respublica; & externus, qui iterum vel Primarius  
est, ut summum B. Politicum; vel secundarius, & est  
rerum omnium affluentia.



*§. 1. Finis hęc duplex pro more practicarum disciplinarum statuitur. Internus ipsa Respublica est, quam modo formam civitatis diximus. Hunc autem verum & Essentialem Politicę finem esse probamus 1. à fine intentionis: Quicquid Politica tanq. finem internum intendit, illud ejus quoq; finis internus est; Atqui ut in Civitatem informem formam introducat, Politica semper tanquam finem internum intendit, Ergò. 2. à fine executionis. Quicquid semper est in potestate Politicę, illud ejus finis internus est; Atqui Respublica semper est in Potestate Politicę, Ergò. Politica quippe semper & ubiq; hanc potestatem habet, utut Politicus eandem semper non habeat.*

*2. Finis extenus Primarius est summum bonum politicum seu Politica felicitas, consistens in publico & perfecto omnium virtutum exercitio. Hanc felicitatem immediatè sequitur pax interna publica sive animi tranquillitas honorq; publicus in statu politico, quum absq; his requisitis honesta vita ne quidem fingi aut cogitari possit.*

*3. Secundarius est à Republica, omnium bonorum affluentia. Dicitur hinc & secundarius, quia à Republica abesse potest citra ejus corruptionem aut destructionem. Potest sanè Respublica secundum leges honestas ordinatè administrari, licet inopiã prematur, hostium obsidione cingatur ac variis calamitatibus affligatur.*

*§. V. Dispescitur Politica in duas partes, quarum prior agit de fine h. e. Republica; posterior de mediis ad finem ducentibus i. e. de imperantibus & obedientibus.*

*En. §. 1. Qvalem divisionem, qvales itidem partes hęc intelligamus ex §. 1. En. §. 6. constare potest. Utut verò divisio physica non sit, distinctio tamen rationis non est seu æquivoci in sua æquivocata, sed realis totius analogi in partes suas analogas partitio.*

*2. Hanc autem divisionem adæquatam esse probat facile membrorum tum oppositio; tum eorundem cum toto reciprocatio. Cujuscunq; enim divisionis membra adæquatè sibi invicem*



invicem opponuntur, ita tamen ut in statu compositionis & conjunctionis spectata cum toto possint reciprocari, ea vera & adaequata est oppositio; Atque hujus divisionis membra ita se habent, Ergò. Major ex requisitis legitimæ divisionis sibi satis constat; Minor verò inductione patet, quia nihil in tota reperitur Politica, quod non ad alteruram referri queat partem, dummodo aliàs directè ad Politicam pertineat.

3. Deinde huic divisioni fundamentum suppeditat tota Philosophiæ practicæ natura, quæ hæc utitur methodo, ut à fine progrediatur ad media. *Quæ. Ergo divisio in Practicæ Philosophiæ natura fundamentum habet, ea ad aliquam istius partem applicata legitima erit: Atque hæc nostra divisio ita se habet, ut ex subsequenti thesi constabit, Ergò!*

4. Prior itaque pars objectum Politicæ materiale considerandum exhibet, ad quam pertinet agere de societatis simplicibus & compositis; posterior objectum formale cum suis partibus cognoscendum proponit. Hinc agitur in eadem de Republica, illiusque speciebus, Majestate, Majestatis juribus, subditis &c.

§. VI. Methodus, quæ Politica conscribenda, analytica est.

§. I. *Duplex alia methodus est, Synthetica & analytica, quod ex Logicis hæc supponimus. Synthetica est, quæ per compositionem à simplicioribus & principiis progreditur ad magis composita. Hinc dicitur aliàs ordo Syntheticus seu compositorius. Analytica, verò à compositis progreditur ad simplicia, à fine ad media, ab effectu ad causas. Vocatur ordo resolutorius, quia progreditur resolvendo compositum in sua simplicia.*

2. Methodum verò analyticam Politicæ cum reliquis Philosophiæ practicæ partibus propriam esse evincit communis illa natura, quæ uni parti æquè ac alteri competit. *Quæ. 2. disciplinae unius ejusdemque sunt nature, illæ eadem quoque methodo sunt conscribenda; Atque omnes Philosophiæ practicæ partes unius ejusdemque sunt nature, Ergò.*

3. Idem præterea evincit ordo Doctrinæ, qui in disciplinis tradendis quàm maximè respiciendus. *Svadet autem ordo*



ordo iste, ut à notioribus *αρχῆς ἡμεῶν* incipiamus & ea inve-  
stigemus, quæ naturâ adeò nota non sunt; Jam verò finis in-  
Politica scil. Respubl. notissimus est omnibus unâ cum igna-  
rissimis, Ergò ab eodem ut incipiamus, recta svadet ratio &  
methodus docendi facilior.

4. Hoc tamen insuper probè notandum erit, *aliam  
methodum esse totius Politicæ, & aliam prioris ejus partis.* Non  
alia videtur Methodus h. in l. atq; est in Logicis. Tota Logi-  
gica conscripta & conscribenda, utiq; est ordine analytico,  
nihilominus tamen si partem ejus priorem probè considera-  
verimus, illam methodo Syntheticâ conscriptam esse, depre-  
hendemus. Agit enim primò de terminis simplicibus in pri-  
ma mentis operatione; postmodum de terminis complexis in  
secunda mentis operatione; atq; ultimò tandem de toto com-  
posito, nempe Syllogismo, in tertia mentis operatione. Idem  
Præstat & nostra Politicæ, quæ licet totaliter considerata,  
omninò tractanda & tradenda sit methodò analyticâ, attamè pars  
ejus prior aliâ videtur tradita esse methodò, nempe Syntheticâ,  
quia primò agit de societatibus simplicibus, post de compo-  
sitis, & deniq; de ipsa Republica. Apparet g. hanc partem  
alio traditam ordine atq; totum. Sicuti autem in Logicis hæc  
diversa unius partis consideratio nil derogat toti Logicæ aut  
totali ejus considerationi: ita & multò minus hujus prioris  
partis diversa consideratio aliquid toti derogabit Politicæ.  
His ita explicatis pergimus jam ad sectionem alteram.

## SECTIO II. *Συμπληρωματική.*

Qv. I. An Politicæ certis quibusdam præceptis  
possit comprehendi.

*Affirmativam inter alia svadet Politicæ effectus, qui est, ut  
hominem Politicum reddat certum & immutabilem in benè  
constituenda & laudabiliter administranda Respubl. Ansam  
quidem dubitandi non levem suppeditat rerum humanarum  
diversitas & circumstantiarum varietas, quæ cum mutabiles &  
multis modis variabiles sint, certis terminis haud facilè com-*



prehendi posse videntur. Accedit & hoc, quod *res Politica* omnes contingentes sint, quarum cum nulla detur scientia, earum quoque nec hoc in loco danda aliqua erit. Verum quicquid hujus rei sit, affirmativam tamen adhuc veriore[m] judicamus. Ad objecta *Resp. 1. per Instantiam à Jurisprudenzia desumptam*, quippe in qua major adhuc varietas occurrit & tamen eadem legitimis & inter se coherentibus describitur praeceptis. Quod g. verum est de majori, de minori quidem valeat, non apparet diversitas. 2. *distingvimus inter ipsa de rebus variis & mutabilibus praecepta; & inter praeceptorum applicationem*: Quoad hanc praeceptorum applicationem facilius nihil est quam labi, errare & decipi; attamen quoad ista praecepta error tam facile committi non potest, quia haec finita sunt, & universaliter rem sive contingens eadem sit, sive necessaria, seu mutabilis seu immutabilis, proponunt. 3. *sciendum, aliud esse certitudinem, aliud demonstrationem*. Certitudinem hic habemus, non demonstrationem; *Certitudinem non theoreticam, sed practicam*. *Mutabilia, quae hic explicantur, non statim sunt fortuita aut casualia*. Exponimus hic modum Politicè vivendi, non ipsas actiones quoad modum illum constitutas. Harum utut nulla sit certitudo, sed mira varietas, adest tamen certitudo aliqua quoad praecepta, licet nec haec sint apodictica, sunt tamen eadem probabilia. Denique, quod *contingentium nulla detur scientia*, cæteris paribus concedimus, neque Politicam nostram scientiam facimus, quippe quæ theoreticarum disciplinarum est. Quum verò nostra Politica pars sit Philosophiæ practicæ, utique nec eadem scientia sed Prudentia erit, quæ tanquam habitus aliquis Principalis certis omnino praeceptis explicari poterit.

## *Q. II. An Politica possit definiri?*

Videtur quod non, quum juxta *Jctorum* sententiam *omnis definitio sit periculosa, praesertim ubi entia collectiva sunt definienda*. Affirmativa tamen magis placet. Nec *Jcti* hoc intellectum volunt de *definitione Logica atque organica, sed de*



*de reali & pragmatica*, quales periculosa omnino sunt, quum mutata unica circumstantia res ipsa facile possit destrui atq; immutari. Deinde verum est, *Entia collectiva definirè haud posse, quum in nullo directè locum habeant predicamento.* Quia verò *indirectè* ad predicamentorum classes possunt reduci, ideo nec omnis prorsus definitio illis deneganda. Tandem considerari potest *Politica*, ut *Ens collectivum, materialiter & formaliter.* *Materialiter* si spectetur, quatenus constat ex diversis societatibus tam domesticis, quam Politicis, eadem definitionis incapax est; attamen *formaliter*, quatenus hae societates omnes unione & consocietate seu certo ordine ad felicitatem Politicam obtinendam colliguntur, eatenus non multiplex est, sed unum quid, atq; sic non minus definiti potest, quam *Sacramentum, Exercitus, collegium, Ecclesia &c.* quae pariter & rectè definiuntur, non quidem ratione partium, sed formalitatis unius respectu.

*Q. III. Num per praecepta potius, an verò per Exempla, & peregrinationes Politica addiscenda?*

Non disjungenda sed conjungenda haec esse, facile quis respondebit cum insuper addiderit & alia, puta, conversationem cum sapientibus & propriam exercitationem, experientiam & praxin ad normam juris divini & humani compositam. Svademus tamen ante omnia, praeceptorum cognitionem praemittendam esse. Sicuti enim Viator longinquum inter facilius emetitur per loca plana & vias stratas si fecerit iter; ita quoq; Politicus per praecepta praecognita rectius exempla applicare, observata ad communem usum melius transferre potest.

*Q. IV. An Ethica & Politica dua sine distincta disciplina?*

Affirmativam nonnulli tribuunt Philosopho, sed minus rectè. Certum quidem est, eum nonnunquam *vocabulo Poli-*



*sic uti in laxiori significato, ita ut Ethicam & Politicam specialiter sic dictam includat, propterea tamen Ethicam atque Politicam non facit distinctas disciplinas, sed potius unam disciplinam esse asserit, ita ut Politicæ tanq. disciplinæ integræ pars communis ac prior sit ipsa Ethica, pars verò specialis, seu posterior Politica specialiter sic dicta. Quidquid autem sit de mente Philosophi, nos negativæ subscribimus sententiæ propter eundem finem eademq; media, quæ utrobiq; tum in Ethica, tum in Politica proponuntur. Ubicunq; autem idem finis, eadem quoq; media, ibi etiam una tantum disciplina; Atqui in Ethica & Politica idem finis & eadem media, Ergò. Major ex natura practicarum disciplinarum, quæ specificationem à fine habent, manifesta est; Minor itidem constat, quia Ethica in genere agit de vitæ felicitate mediisque, quibus ad eandem homo pervenire potest. Hæc verò eadem ab Ethico accepta, ad Rempublicam Politicus traducit.*

*Qv. V. Quomodo Oeconomica à Politica differat?*

*Quidam eam faciunt disciplinam ab aliis specie distinctam; quidam partis scil. Politicæ partem constituunt; Nos verò eam dicimus alteram partem moralis Philosophiæ specialem. Quod verò distincta ab Ethica atq; Politica disciplina non sit, eodem probatur fundamentò, quùm & hic idem finis, eademq; media, hoc tantum discriminis notatò, quod ad rem familiarem œconomicus ea transferat. Neq; etiam altera pars Politicæ est, quamvis utrobiq; familiarum suscipiatur tractatio, quùm alia atq; alia eadem sit, respectiva scil. & absoluta. Prior Politicæ est, posterior œconomicæ. Imo sicut status Oeconomicus in se spectatus à statu Politico distingvi debet; ita quoq; Prudentia Politica ab Oeconomica discriminanda est. Et quemadmodum etiam status œconomicus sine Politico esse atq; subsistere potest: ita quoq; Prudentia œconomica absq; Politica. Manet Ergò tertium, quod sit altera pars Prudentiæ specialis.*

*Qv. VI.*



*Qv. VI. An Oeconomica ante Politicam  
tradenda?*

Multi non tantum hoc ipsum tenent, sed & actu Oeconomiam prius proponunt & quidem non inferioris conditionis Philosophi. Verum quum isti, salva eorundem Autoritate, falsam partim supponant hypothesein, Oeconomicam distinctam a Politicâ disciplinam esse; partim ea, quæ oeconomica non sunt, pro œconomicis venditent, eorum subscribere sententiæ nullatenus possumus, præsertim quum ea, quæ in Politicis traduntur ad œconomicæ intelligentiam faciant.

*Qv. VII. An Civitas seu Respublica Politicæ  
finis & Objectum sit?*

Videtur quod non, quum finis & objectum sibi contradistinguantur tanq. diversæ causæ. Objectum enim refertur ad internas, finis verò ad externas causas. Hinc argumentum: *Quæcumq. sibi invicem contradistingvuntur ut diverse & opposita cause, illæ unum idemq. esse non possunt; Atqvi Objectum & finis ita se habent. Ergò. Verum salva res erit, dummodò diversum explicemus respectum. Primò quidem supponendum, non sermonem esse de subiecto, quod est homo, sed de Objecto, circa quod Politicæ occupata est. Deinde non de Objecto in concreto queritur, de hac vel illâ Republica, sed in abstracto. Tertio ratione finis non sermo est de externo sive Primario, qui civitatis beatitudo est, sive secundario, qui omnium rerum affluentia dicitur, sed interno, qui Respublica audit.* His præsuppositis Resp. jam i. per Instantiam ad Majoris universalitatem infringendam: *Ædificium est Architecti & objectum & finis, & tamen unum idemq. est ædificium. Objectum est, quatenus extructum jam est; finis, quatenus demum extruendum. Eodem planè modo sese res habet cum Republica. Respublica Politicæ objectum est, qt. est constituta; at qt. constituenda est, finis est. Hinc distingvimus 2i. inter Rempublicam in civitatem introductam, & introducendam; Illo modo objectum est, hoc verò modo*



modò finis subit rationem. Limitamus ergò 3. Majorem hunc in modum: Quæcunqve sibi invicem contradistingvuntur ut oppositæ causæ, illæ quatenus sunt oppositæ, sensu ἀπολογικῶ non sunt unum atqve idem. Jam majore ita limitatâ, falsa est Minor. Respublica enim quatenus Objectum est, finis non est; & quat. finis est, objectum non est, alio tamen atq; alio respectu quo minùs aliquid & objectum & finis sit, nil prohibet.

*Qv. IIX. An honestas publica, an verò Religionis cura verus Politices sit finis?*

Ita quidem sentiunt Pontificiæ sedis Adulatores, & eam perfectam Politiam vocant, in qua & contemplationes sublimes vigent, ubi unitas est in religione & uniformis ad DEUM devotio. E contrario eam imperfectam dicunt, ubi hæc non reperiantur. Hinc colligunt: *Ubi nullus Respublicæ finis, ubi nulla Respubl. Atqvi penes Lutheranos nullus Respubl. finis, Ergò. Hoc tanquam certo supposito ulterius argumentari non verentur: Ubi nulla Respublica, sed multitudo sine fine, ibi non tantum Princeps est Tyrannus, sed & subditi Latrones & fures, adeoq; unâ cum Principe ultimò afficiendâ supplicio. Sed μέγα λία ἀίτημα est in argumento, quod fundamenti loco supponebant. Ut nihil nunc dicam de minore, nullas apud nos vigere contemplationes, non esse penes nos religionis uniformitatem, quæ sanè non ita simpliciter & sine fundamento dicenda, sed & solidò & verò aliquò principiò probanda fuissent; Major tamen falsissima est, cum falsam itidem supponat hypothesin, quasi verus Politicæ finis sit contemplatio sublimis aut religionis cura. Nullam profectò ita haberemus Rempublicam præter Pontificiam (ut taceam infinitas contradictiones & dubia ne ab ipso Pontifice summo solubilia in religione Pontificia.) Nullam habuissent Assyrii, Persæ, Græci, nec Vett. quoq; Romani. Scimus nos, Evangelium non abolere Politiam, & Politiam quidem facere civem, Evangelium verò Christianum.*

*Qv. IX.*



*Qu. IX. An ratio status legitimus Politica sit finis?*

*Cum honesta utilibus cedunt, ratio status vocatur. Hæc utilitas non tam publica, quam privata obtinet ubiq; , nec sibi quis turpe putat, quod aliis fuit fructuosum. Deploranda hæc quorundam Politicorum sententia est, qui non honestatem, sed utilitatem; non commodum publicum, sed privatam pro fine habent, quam imitanda aut approbanda; imò non tam refutatione, quam relegatione digna. Ratio hæc status est bestia recta ratione destituta solum sequens appetitum. Vel ut apud Traj. Boccalinum Apollo definivit & aureis literis Auditorio Peripateticorum Politico inscribi curavit: Ratio status est jus Diabolicum Principis commodum contra leges divinas & humanas quærens atq; affectans. Ne tamen quis existimet, nos omnem omninò hoc ipso sustulisse rationem status distinguenda illa erit in perversam & rectam. Non hanc sed illam improbamus. Aliàs teste Livio lib. XXIII. c. XIV. solâ virtute niti nec potes ubiq; , nec expedit. Conf. Cl. Cellar. in Pol. p. 17.*

*Qu. X. An Politica constare possit absq; Virtute?*

*Machiavellus Florentinum illud monstrum, & quotquot beluæ huic calculum addunt suffraganeum in fraudibus, dolo, technis, simulatione, dissimulatione omne punctum prudentiæ Politicæ positum esse volunt, adeoq; candorem ac simplicitatem pro stupiditate habent. Nec multum ab hæc sententia alienus est Justus Lipsius l. 4. Pol. c. 13. ubi Prudentiæ Politicæ leviter aliquid fraudium admisceri posse docet, præsertim turbidò hoc verè pelago, & ubi recta portus teneri nequeat, jus atq; fas esse, obliquare sinus & portum mutatâ velificatione assequi, adeò ut ubi pellis leonina non pertingat, necessum sit vulpinam assumere. Hinc fraudem definit per argutum consilium à virtute & legibus devium, regis regniq; bono. Verum non opus est, ut fraudem svadeamus apud plurimas & plerasq; hodiè nationes usitatam. Quis, quæso, medium hæctenus invenit inter virtutem & fraudem? sanè fraudes, quocunq; fuce pingantur, honestæ & licitæ non sunt. Virtus non debet adjuvari vitio, seipsâ contenta est. Neq; facienda sunt mala sive Regis sive regni causa, ut inde proveniant bona. Non vulnerandus est proximus, ut per medicamentorum applicationem ei beneficiamus. Hominem Politicum quandoq; simulationem, dissimulationem, diffidentiam decere, non negamus, ita tamen ut non opponantur veracitati, fidei & candori, sed ut sint partes Prudentiæ h. e. sumantur pro occultatione eorum, quæ pro circumstantia Personarum, loci, rerum ac temporum occultanda sunt. Machiavelli verò sententia prorsus absurda, impia & blasphema est, quùm è Diametro pugnet cum ratione veræ Prudentiæ,*

**C**

**hanc.**



honestatis, fidei, candoris ac Pietatis, adeo ut relegatione totali digna à cordatis & sanioribus merito iudicetur Politicis.

*Qv. XI. An Finis in Politica partem ejus Essentialem constituat?*

*Videtur finis esse extrareij Essentiam & præcognoscendus potius unà cum subiecto, quam ad constitutionem Politicam referendus. Verum videtur, saltem. De finis generali notitia si sermo fuerit, non litigabimus, eam in parte extra-Essentiali hauriri posse; At specialis & distincta ejus cognitio atq; tractatio ad essentialem Politicam partem spectat. De subiecto nulli movebimus litem, utpote de quo certum est, illud in omnibus disciplinis præsupponi & in *negotia* considerari; at de fine in Practicis res longè aliter sese habet. Eadem enim ratio est finis in Practicis, qualis est Objecti in theoreticis, fatentibus illis ipsis, qui finem à constitutione Philosophiæ Practicæ eliminare satagunt. Et sicuti Objectum in theoreticis fundamentum est totius disciplinæ, ita ut ejus constitutionem ingrediatur: ita quoq; se habet finis in practicis. Imo concedimus quidem finis *negotia* generalem in præcognitis practicis, sicuti largimur objecti cognitionem generalem in *negotia* theoreticarum disciplinarum; Attamen propterea specialem & exactiorem ejus cognitionem in essentiali parte non negamus, nec negandum esse ducimus. Imò si de Essentia & natura Philosophiæ practicæ est cognita, ad praxin deducere, cur finis tractationem ab ejus constitutione excludere velimus, non apparet? Eadem ratione & media excludenda forent, quæ non secus præcognoscuntur atq; ipse finis. Imò si finis præcognitus est, præcognita quoq; sint media necessum est, quia finis post media demum sequitur & ex mediis constat. Nec actiones mediorum sine fine esse possunt, quæ aliàs frustra forent. Manet igitur affirmativa questionis verior, quod, sicuti media certum requirunt finem, & ipse quoq; finis alteram Philosophiæ Practicæ partem Essentialem constituat, non secus atq; media hoc præstare dicuntur.*

*Qv. XII. An Politica rectè distribuatur in duas partes?*

*Theophilus Golius in sua Epitome omnia, quæ octo libris Politicorum Aristotelis traduntur ad quinque refert capita. Thomas Aquinas ad quatuor capita præcepta Politica revocari posse asserit. Petr. Gregor. Tholosanus suam de Republ. Doctrinam in sex & viginti libros distinxit. Daneus Politicam suam Christianam in Proœmio in septem libros dividit. Alii referente Danzo l. c. ad tria capita nempe religionem, justitiam*



tiam & Politiam præcepta referunt Politica. Alii præcognito saltem fine non nisi de mediis sibi agendum censent. Verum nos observantes regulas & requisita legitimæ divisionis in duas partes Politicam secamus, quarum prior agit de fine, h. e. de Republica & dicitur *πολιτική* seu Reipublicæ constitutrix; posterior verò de mediis ad finem ducentibus, h. e. imperantibus & obedientibus & dicitur *διοικητική* h. e. Reipubl. administratrix. Atq; hæc divisio non tantum fundata est in requisitis legitime divisionis, sed & cum methodo analytica in Practicis disciplinis usitata conspirat concorditer.

Q. XIII. An Politica rectè distribuatur in profanam & Christianam?

Specificam differentiam hinc non admittimus, utut aliquam ratione subjectorum & adjunctorum differentiam admittere possimus, quod Politica Christiana sit à Christianis adeoq; purior, profana verò ab Ethnicis ac impurior, cum hinc inde quædam sint admixta, quæ idolomaniam sapiunt gentilem. Nihilominus si saltem *παράθετα* separentur *ἕκαστα τῶν ἑξῆς*, essentialem in iisdem deprehendemus convenientiam, quia lex naturæ seu recta ratio scripturæ S. non repugnat.

Q. XIV. An Politica Paganorum Deo placuerit?

Quidam Politicam cum Theologia committunt hostiliter, sed falso & sine solido fundamento. De Politicis quibusdam iisq; non veris sed caco Politicis idem asserere possumus; Verum absit! ut idem de ipsa Politica omnibusq; Politicis asserere velimus. Quidam è contrario Politicam Paganorum & eorum virtutes extollunt adeo, ut propterea eos in beatorum thronum elevare haud vereantur. Nos mediâ incedentes viâ, asserimus quidem, Politicam paganorum Deo placuisse, sed non Politicos paganos, adeo ut inde vitæ æternæ heredes fieri potuerint. Distingvimus ergò inter abstractum atq; concretum. Abstractum, seu ipsa Politica Deo omnino placuit, cum in lege tum divina tum naturali fundata fuerit; sed non concretum seu Politicus, & de quo hic loquimur, Paganus. Res ipsa scil. virtutes illæ Deo placuerunt, verum non subjecta, quibus virtutes inhærebant.

Q. XV. Quâ Methodo Politica tradenda?

Resp. Analytica, ut supra constitit. Controversia hinc est inter nos & Piccol. introd. ad X. grad, à cap. 14. usq; ad 25. qui totus in eo est, ut probet, unicam tantum esse methodum, quam etiam in omnibus disciplinis observandam urget. Verum nos prolixitatem evitantes distin-

gven-



*quodendum esse existimamus inter ordinem doctrinae seu cognitionis nostrae  
& inter ordinem naturae seu rerum ipsarum.* Hæc duo confundit Pic-  
colomineus, quod ostendit *Cl. Hornejus l. 1. Eth. c. 11.* Constat enim longè  
aliud esse rem à natura ita produci & eandem à nobis hoc vel illo modo  
cognosci. Etsi quidem nihil rectè cognoscitur, nisi quod percipitur,  
ut in re est, tamen non propterea eò cognoscitur ordine, quò quid fa-  
ctum est, *Conf. B. J. Mart. discuss. Ram. l. 2. c. 3.*

*Qv. XVI. An Politica informet intellectum, an  
Voluntatem?*

Totum Politica instruit hominem tanqu. *subjectum denominationis;*  
*animam verò tanqu. subjectum inhesionis.* In anima autem hæc reperiun-  
tur facultates, quam g. istarum Politica informet, hæc disquiritur: Nos  
dicimus utramq; *primò* quidem ratione cognitionis instruit intellectum,  
ut, quid virtutes Politicæ sint, cognoscat: *ultimatò verò* & tanquam  
subjectum proprium instruit voluntatem, ut ea bona antea cognita ap-  
petat & in actum deducat. Sola enim Politicorum præceptorum noti-  
tia absq; praxi nulla, & praxis absq; notitia eorum manca est atque  
mutila.

*Qv. XVII. An etiam Philosophus possit esse Politicus?*

Quum ipsa Politica pars sit philosophiæ practicæ, ipse quoq; Poli-  
ticus Philosophus dicendus omninò erit. *Distingvendus tamen probe est  
Philosophus ab officio.* Philosophus, quia Philosophus, scire quidem potest  
exactè præcepta Politica, an verò ejus officii sit, illa ad Politiam certam  
applicare, hoc est quod negamus.

*Qv. XIX. An Politica præferenda sit Jurisprudentiæ?*

De ipsa Politica in abstracto dubio procul quæstio affirmanda erit  
propter fundamentum, quod Politica Jurisprudentiæ suppeditat, & propter  
imperium, quod exercet in totam non tantum Philosophiam, sed &  
omnes facultates superiores, atq; sic itidem in Jurisprudentiam; At in  
concreto si quærat, Ictum Philosopho præferendum esse statuimus,  
quia præsupponitur, Ictum accuratum quoq; esse Politicum, cum bonus  
Ictus nemo sit, qui accuratus antea non fuit Politicus, adeò ut sicut  
verum est: Ubi desinit Physicus, ibi incipit Medicus i. ita: quoq; certis-  
simum: ubi desinit Politicus, ibi incipit Ictus. Quod enim  
ita sit, Politicam futuro Icto maximè necessariam  
esse concludimus.

I A N T U M.



DISPUTATIO POLITICA SECUNDA

De

Societatibus in genere,

& in Specie

De SOCIETATE NUPTIALI,

PRÆSIDE

M. JOHANNE MANITIO,

die 16. Febr. publicæ ventilationi submissa

JOHANNE Ufern/ Serv. Anhalt.

SECTIO I. *Ἐπιτομή.*

Ἐπιτομή I.

Societas est duarum vel plurium personarum instinctu naturæ honesta conjunctio ad vitam communem bene & feliciter peragendam instituta.

Ἐπιτομή 1. Objectum & finis Politicæ est civitas seu Respublica, quam si probè tractare velit Politicus, ejus partes tam minores quàm majores prius cognitæ habeat necessum est, quùm totum infeliciter cognoscatur non cognitæ prius partibus, *docente Philosopho ipso lib. 1. Pol. cap. 1.*

2. Societatem derivari à voce Socius in vulgus notum est, quam ipsam porrò alii deductam volunt *vel à secando*, quia cuiq; sociorum sua debetur portio; *vel à sequendo*, quia alter alterius mores observare & sequi solet.

3. Societatis vocabulum ambiguum est. Vel enim consideratur *absolutè*, in se & suâ naturâ, non habitò respectu ad Rempublicam; *vel comparatè & respectivè*, quatenus civitatem ingreditur, illamq; constituit.

4. Genus Societatis est *Conjunctio*, non tam corporum, quàm animorum. Additur *differentiæ loco honesta conjunctio*,

D

ut



ut à societatibus inhonestis Prædonum, latronum, scortatorum & id genus aliis ac in civium & Reipubl. perniciem congregatis fecernatur.

5. *Principium istius conjunctionis ipsa est natura, quum, prout infra audiemus pluribus, teste Philosopho & communi Eruditorum suffragio homo sit animal πολιτικόν.*

6. Porro fit mentio *subjecti*, quod sunt *duo vel plures homines*. In societate simplici duæ sufficiunt personæ; In compositâ verò plures requiruntur.

7. *Finis* reliquis exprimitur verbis, & est *publica atque communis felicitas, publica atq; communis utilitas*. Illa finis primarius est; hæc secundarius audit. Felicius sanè vivitur cum aliis, quàm cum nobismet ipsis solis. Solitaria vita difficilis. Non est facile per seipsum assidue operari, cum aliis verò & ad alios facilius. — ex convictu cum bonis exercitatio quædam virtutis efficitur. Imò non tantum natura, non saltem honestas, sed & maxime utilitas societatem fovet, quum sic melius defendamur contra hostes, contra injurias tempestatum, æris, frigoris, caloris, contra bestiarum incursions & id genus alia.

§ II. Dividitur Societas in simplicem & mixtam, seu compositam.

Ex § I. 1. Societas *simplex* aliis dicitur *privata, prima seu minima*; *mixta verò seu composita* vocatur *publica, secunda & major*.

2. Nuncupatur *simplex*, non ac si omni omnino compositione careat. Ita enim ad huc ex duabus componitur Personis; sed in respectu ad magis compositam, quia ad ejus constitutionem aliæ societates non concurrunt, atq; talis est *Nuptialis, Herilis & Paterna*.

3. *Composita* verò dicitur, quia ad ejus constitutionem duæ personæ non sufficiunt, sed plures requiruntur, ut sunt *Domus seu Familia, Vicus seu Pagus & Civitas*, de quibus ordine in sequentibus. In præsens de *nuptiali*, utpote quæ & dignitate & utilitate & jucunditate reliquas superat.

§ III.



**Θέσις III.** Societas nuptialis est legitima & indissolubilis unius maris & foeminae consentientium conjunctio, ad sobolis procreationem & mutuam adjutorium ab ipsa natura facta.

**Ἐκθεσις 1.** Vocatur haec societas ab aliis *conjugalis, matrimonialis, conjugium, connubium & matrimonium* eodem sensu. Item *γάμος* seu Nuptiae.

2. Genus iterum est *conjunctio*, quae *πρωτως* intelligenda est de animorum; *δευτερω* de corporum conjunctione, quia copula carnalis matrimonium non tam constituit, quam constitutum consummat.

3. Additur *legitima & indissolubilis*. *Primò ad differentiam*, ut excludantur adulteria, scortationes, incestus, bestialitas & alia copulationum genera legibus divinis & humanis prohibita. *Dein* ut indicetur Personas in hac societate non posse iterum disjungi, quando semel sunt conjunctae, juxta dictum Jehovahae: *Quod Deus conjungit, homo non separet.*

**Θέσις IV.** Causa hujus societatis nuptialis est ipsa natura.

**Ἐκθεσις 1.** *Natura naturans seu Deus causa prima est.* Deus enim est, qui creavit homines, ut essent duo in carne unà; Deus est, qui hanc societatem legibus munivit & univit; Deus est, qui stimulos homini ad appetendam hanc conjunctionem in primæva Creatione indidit; Deus est, qui non aliò modò, quam per hanc societatem genus humanum multiplicari jusfit; Deus ipse primus Paranympus fuit, qui primos nostros Parentes sanctissimo conjugii foedere copulavit.

2. *Natura naturata est causa conjugii secunda.* Ipsa natura svadet hanc conjunctionem, quae ut legitimo fiat modò, requiritur ante omnia consensus Personarum contrahentium, ad quem exprimendum sicuti non sufficit interna mentis cogitatio nullis externis signis declarata: ita nec ad illius declarationem verba absolutè sunt necessaria.

3. *Consensus autem iste liber sit & deliberatè ratione profectus, non minis metuq; mortis extortus; nec fiat à mente*

D 2

capto



capto, aut nimio vini usu obruto, aut rationis usu privato, nec error accedat personæ, utut aliàs Nominis, fortunæ & Qualitatis error accesserit, ille tamen consensum non tollit.

4. Nec tantum *consensus* requiritur Personarum contrahentium, sed & illorum, in quorum potestate illæ sunt, Parentes & Tutores, si sub iisdem adhuc fuerint. Quamcunq; enim potestatem ipsa natura Parentibus dedit, Scriptura S. non derogavit, experientia confirmavit & æquitas semper postulat, illam liberi parentibus sine naturæ destructione, Scripturæ S. perversione, Experientia everfione & æquitatis ablatione denegare non possunt.

5. Dedit natura Parentibus respectu liberorum potestatem procreandi, educandi & regendi, quod regimen non cessat, nec ante matrimonium ineundum, nec post initum. Imò sicuti Liberi non habuerunt potestatem semetipsos producendi, & cum Parentibus his conjugendi: ita nec potestatem habent legitimam seipso multiplicandi & ab aliis sese separandi.

6. Nec Scriptura hanc derogat potestatem Parentibus, sed potius in quarto Decalogi Præcepto præcipit, ut Parentibus suis debitum honorem & obedientiam in casibus quibusvis legitimis præstent. Quomodo autem honor exhibetur Parentibus, quomodo obedientia præstatur iisdem, si ne digni quidem judicentur hoc in casu, qui consensum præbeant, aut à quibus consensus petatur ac requiratur?

7. Experientia quoq; testatur, omnibus temporibus, penes quascunq; gentes hunc consensum tanq; necessarium ad matrimonium Liberorum fuisse requisitum. Et licet quidam populi *ἀσυντοι* fuerint reperti, illorum tamen *ἀσυντοία*, impietas & in hac sententiâ tuendâ particularitas regulam nullam faceret.

8. Deniq; id ipsum æquitas postulat, ut illos, qui nos generarunt, educarunt, nutriverunt & à teneris usq; ungviculis omnia nobis bona exhibuerunt, imò quibus vitam ipsam, omniaq; nostra debemus, tantillo saltem honore dignos æstimemus, cum absq; illis si fuisset, nos ne esse quidem, multo minus tales vel tales esse possemus.

¶ *capitulum* V. Subjectum hujus Societatis sunt Personæ Mas scil. & Fœmina. En Ja.



*Ἐκ θεοῦ* 1. Hæc itaq; Societas non potest esse sine mare,  
nec sine foemina, quod ostendit etiam *Aristot. lib. 1. Pol. c. 3. &*  
*lib. 7. Oecon. c. 3.* Nec potest, nec debet esse conjunctio maris  
cum mare, aut foeminae cum foemina, quippe quæ Sodomitica co-  
pulatio merito ab omni Republica quàm alienissima esse debet.

2. Considerari autem possunt personæ *vel ratione*  
*Quantitatis; vel ratione Qualitatis.* *Ratione Qualitatis*, qua-  
liter affectæ esse debeant; *Ratione Quantitatis*, quot esse debe-  
ant personæ & cujus ætatis.

3. *Numerus Personarum conjugii vinculo unendarum esse*  
*binarius.* Hic enim expressè in Scriptura S. est determina-  
tus, in primæva conjugii institutione fundatus, à Christo &  
Apostolis approbatus, imò in ipsâ naturâ radicans. Prius  
scriptura luculenter variis in locis testatur: posterius pro-  
batu difficile non est præsertim inter homines, ubi natura o-  
stendit ipsa, suum cuiq; esse tribuendum; nec quenquam de-  
bere rem non suam invito Dominò abalienare, quòd sanè  
non observatur, quando maritus pluribus miscetur foeminis,  
aut foemina pluribus viris: Ita enim Maritus, qui proprii sui  
corporis jus non habet, sed uxor, invitâ uxore, ea, quæ uxoris  
sunt, abalienat, & uxor etiam tale quid præstat, si idem  
fecerit.

4. *Ætas Personarum matrimonio jungendarum non*  
*debet esse nimis matura, neq; nimis sera, sed media.* Annum  
certum neq; respectu Virorum, neq; respectu foemellarum,  
definire volumus, illud autem tempus convenientissimum esse  
existimamus, quando conjuges simul generare desinunt. *He-*  
*siodus lib. 2. ὡς τὸ ἐργα καὶ τῆς νύκτας* trigessimum annum in  
maribus, decimum quintum verò in foeminis requirit. *Ari-*  
*stoteles* annum ætatis 22. in foeminis & 38. in viris præscribit.  
*Plato* hos annos aliter definit. Nam viris annum 30. usq;  
ad 55. Mulieribus verò annum 20. usq; ad 40. præscribit.  
Quùm verò hodiè omnia ad interitum vergant, citiusq; ho-  
mines, quàm tempore vel Platonis, vel Aristotelis vel Hesiodi  
consenescant, ante tempus ab ipsis definitum matrimonia con-  
cedenda esse, censent Politici, hæc tamen semper additâ le-



ge, ne sint nimis Juvenes, atq; sic prorsus matrimonii impediatur finis; nec nimis senes, quamvis hic obtineri possit finis conjugii secundarius, si non semper primarius locum habuerit; si non subsequitur procreatio sobolis & generis humani multiplicatio, adest tamen mutuum tum Pietatis, tum Societatis ac jucunditatis adjutorium.

5. *Ratione Qualitatis Personæ spectantur vel absolute, quæ & qualis persona sit, I. Quoad conditionem vite Physicam, partim ratione generationis, an persona matrimonio jungenda nata sit in thoro legitimo an illegitimo? partim ratione constitutionis, an sit sana vel infirma ac morbis vexata? si hoc, an morbi sint curabiles vel incurabiles, intransitivi vel transitivi aut contagiosi.*

6. II. *Attendenda conditio vite æconomica: an persona sit dives vel pauper. Ubi probè illud Poëtæ notandum:*

*Sat dotata venit quæ sine labe venit.*

usq; adeò non semper respiciendæ sunt divitiæ sed mores potius atq; virtutes personæ, quibus si benè fuerit instructa, sat dives eadem habenda.

7. Hinc III. *cum primis respicienda conditio vite Ethica, an persona benè sit morata, an vivat honestè nec ne? vita honesta & moribus ritè formata præferenda longè est vitæ inhonestæ ac vitiis contaminatæ, licet opibus abunde sit instructa.*

8. IV. *Ponderanda probè erit conditio vite politica: an sit persona publica, an privata, an sit libera seu ingenua, an verò serva aut qua ratione in servitutem redacta? ingenui cum servis non miscentur facile conjugio, aliàs nobilior ignobilioris conditionem sequi debebat antiquitùs, utut talis hodiè servitus non amplius locum habeat.*

9. Deniq; V. *Conditio vite Ecclesiastica non est negligenda. Vel enim persona aliqua vivit extra ecclesie pœneria quales sunt Turcæ, Judæi &c: atq; sic Christiano cum tali matrimonium inire non est licitum; vel vivit intra ecclesie gremium & Christianum gerit nomen vel ὄντως ἔσ' verè; vel φαινομένως seu titulo tenus. Nec has inter personas matrimonium facile admittitur, si nondum fuerit contractum. Contractum*



Etum quidem non rescindendum neq; tamen propterea con-  
trahendum facile concedendum, nisi forsitan spes conversio-  
nis adfuerit.

10. Atq; hinc apparet, personam ipsam à personæ condi-  
tione accuratè esse distingvendam. Persona ipsa quasi abstra-  
ctum est & ad substantiam seu essentiam refertur ipsam. at  
conditio personæ concretum est & ad Accidens personæ perti-  
net. Quod si fortè error in matrimonio contrahendo obti-  
gerit, videndum statim, num error sit personæ, num personæ  
conditionis? si fuerit error personæ, qualis erat, quum Jacobo  
Lea pro Rahele à Labano traderetur, matrimonium potest re-  
pudiari; sin verò conditionis personæ saltim error fuerit, ut  
si quis duxerit pauperem quam divitem existimabat, matri-  
monium est & manet validum.

11. Deinde ratione Qualitatis personæ spectantur etiam  
relatè in propinquitate sanguinis. Hic ante omnia opus est  
ut sciamus diversitatem supputationum quoad jus civile & quo-  
ad jus Canonicum. Secundum jus civile tot sunt gradus quot sunt  
generationes, & persona generata semper adjicit gradum. Atq;  
hæc regula valet in linea recta & obliqua, æquali & inæquali.  
Secundum jus Canonicum, supputatio consistit in diligenti ob-  
servatione linearum. De linea collateralis æquali talis est re-  
gula: Quod gradibus unaquæq; persona distat à communi stipite,  
tot gradibus distant inter se, v. g. duo fratres, quum uno quisq;  
gradu à patre distet, ita & à se atq; sic de jure Canonico in  
primo, de jure civili verò in secundo gradu. De linea inæ-  
quali collateralis hæc traditur regula: tot gradibus inter se di-  
stant personæ, quot gradibus distat à stipite persona remotior.

12. Quoad graduum prohibitionem notandum, quod ea  
possit considerari vel quoad jus divinum; vel quoad jus civile;  
vel quoad jus canonicum. Gradus jure divino prohibiti extant  
Levit: 18. à vers. 6. ad 18. & sunt sedecim personæ scilicet  
mater, noverca, soror ex utroq; parente, soror ex altero tantum  
parente neptis ex filio, neptis ex filia, soror patris hoc est amita, soror  
matris h. e. matertera, uxor patrui, uxor filii s. nurg, uxor fratris seu  
fratria, uxoris mater, privigna hoc est filia uxoris nata ex priorima-  
rito, filia privigni & filia privignæ & soror uxoris.

13. In jure



13. *In jure civili in linea recta* nuptiæ sunt prohibita in infinitum, quod apud nos hodiè indubitatum est, adeò ut si Adam hodiènum viveret & Eva mortua foret, non posset uxorem denuò ducere propter hanc regulam. *In linea collateralis*, inter eos, qui parentum & liberorum locum obtinent prohibita sunt nuptiæ in infinitum. Ita cujus filiam ducere non possum propterea, quod ei parentis sim loco, ejus nec neptem, ducere possum. Et hoc etiam juris divini est l. c. aliàs extra hunc casum secundus & tertius gradus prohibitus est computatione civili. Filii autem duorum fratrum, qui in linea collateralis, in quarto sunt gradu, de jure civili matrimonio possunt jungi.

14. *In jure Canonico* matrimonia in quarto gradu prohibentur, v. g. de jure divino & Casareo fratrum & sororum filiis & filiabus matrimonium inter se contrahere licet, sed de jure neq; municipali neq; Canonico id ipsum licet. Unde Hafenrefferus in loc. comm. scribit: jure nostro municipali Jacobo non licuisset, neq; Rebecam neq; Labani uxorem ducere. Et sicuti in consanguinitate: Ita & in affinitate secundum jus Canonicum gradus distinguuntur, qui gradus in jure civili nulli sunt.

15. *In linea ergo recta* inter ascendentes & descendentes in infinitum prohibitum est connubium. *In linea collateralis* in Ecclesiis atq; provinciis electoratus atq; Ducatum Saxonorum prohibitum est usq; ad tertium gradum lineæ inæqualis inclusive, uti patet ex Ordinat. Ecclesiast. tit. Von Chesachen. §. Die Personen welche Zeit halber &c.

§. VI. Forma conjugii consistit in legitima Conjunctione.

§. I. Hæc conjunctio ut sit legitima fieri debet. 1. *Per sponsalia*, sive ea publica fuerint sive privata, dummodo fiant utriusq; & parentum consensu, ita ut neq; naturâ, neq; lege, neq; canone prohibeantur. 2. *Per nuptias*, quæ sunt solemnis legitimorum sponsalium benedictio & consummatio.

2. Hæc legitima conjunctio non tantum debet esse temporaria & divisibilis: sed permanens & indivisibilis aut indissolubilis.



*solubilis.* Non quidem eò sensu, ac si planè non possit solvi  
matrimonium, aut personæ contrahentes in eadem dividi,  
quia illud dirimere potest mors, adulterium & malitiosa de-  
sertio: sed hoc sensu quod facile solubile ac divisibile non sit  
neq; per adversam fortunam, nec rerum penuriam nec mentis  
inopiam docente Philosopho lib. 1. Oeconom. c. 6.

**Θέσις VII.** Finis hujus societatis vel primarius  
est *πρωτοβία* seu procreatio sobolis: vel secundarius,  
ut mutuum adjutorium, quod istæ personæ sibi invicem  
præstare tenentur.

**Ἐκθεσις 1.** Finis quidem absolutè primus & principalis, si-  
cuti rerum omnium, ita & hujus societatis gloria Dei est: *se-*  
*finis secundum quid primus* est ille quem dixi, nempe sobolis  
procreatio, per quem finem natura complet humani generis  
perpetuitatem, ut genus humanum crescat & augeatur.

2. *Mutuum adjutorium* consistit in mutua officiorum  
debitorum exhibitione. Maritus præstare tenetur uxori de-  
bitum naturale, subministret alimenta, eam defendat ac gu-  
bernet. Pariter & uxor præstabit naturale debitum, honorem  
& obedientiam marito exhibebit, uno eodemq; cum marito  
gaudebit domicilio, & gratam viri defuncti memoriam re-  
tinebit.

**Θέσις VIII.** Diversum quid ab hac societate est  
Coelibatus.

**Ἐκθεσις 1.** Vidimus hactenus societatem nuptialem esse  
statum Deo gratum & acceptum, à Deo fundatum in natura  
hominum radicum, longâ hactenus consuetudine confirma-  
tum, Republicæ salutarem ac provicuum, adeoq; modis o-  
mnibus acceptandum.

2. Notanter dico *diversum quid.* Propriè enim pugnancia seu  
opposita non sunt, quæ quidam sunt, divortium, repudium, & id  
genus alia. Hanc verò diversitatem inter calibatam seu virgi-  
nitatem & societatem hanc dum asserimus, non hoc volumus  
ac si virginitas non sit à Deo nec vitæ conditio hæc Deo pla-



gens & accepta; sed quod quidem Deo placeat, augmento  
tamen atque incremento boni publici non adeò inserviat.

SECTIO II. ΖΗΤΗΤΙΚΗ.

Qv. I. An homo natura sit animal po-  
liticum.

Perſvadet idipſum inter alia hominis proprium, ratio atq;  
oratio, quæ præcipuè hunc in uſum hominibus data ſunt, ut  
poſſint animi ſui ſenſa ſibi mutuò indicare & explicare, quid  
bonum, quidvè malum, quid honeſtum vel turpe, quid expe-  
rendum, quid fugiendum. Imò qui naturaliter non eſt amans civilis  
ſocietatis, is revera neq; homo ſimpliciter, neq; pars civitatis dici po-  
teſt, ſed eſt aut præſtantior homine tanquam Deus aliquis: aut dete-  
rior homine & inſtar beluæ alicujus, quæ ſolitudinem magis quam  
ſocietatem amat. Quod ſi verò quis fuerit melancholicus, fu-  
riofus, ſcleratus aut Eremita & ſolitudine delectetur, atq;ve  
ab aliorum congreſſibus & conſortiis abhorreat, ille faceret  
præter communem hominum naturam, partim vi morbi judi-  
cium mentis corrumpentis, partim metu pœnæ ex mala con-  
ſcientia ortò: partim etiam certò quodam conſiliò. Unde  
tamen concludi non poteſt, hominem ſuâ naturâ non eſſe  
propenſum ad civilem ſocietatem: Quod verò dicitur de ſi-  
mili, homines ſcilicet inſtar atomorum primitus confluiſſe,  
quæ ſententia Epicuro tribuitur à Cicerone lib. 1. & 2. de  
natura Deorum. Item conveniſſe homines prodigio & miraculo  
quodam, quæ opinio Vitruvii eſt, ſcilicet quod homines primò  
ignem conſpicientes tanq. rem miram ſint perterriti, poſtea  
verò propius ad illum accedentes & calorem ejus ſentientes  
ad eundem tum demum habitare cœperint & ſocietatem co-  
lere incœperint: Item: Homines beneficio mulices primò  
conveniſſe quod nobis perſvadere conatur Horatius de arte  
Poëtica, dubio procul in iſtius laudem. Item: coiviſſe defen-  
ſionis gratia, atq; pagos & domos exſtruxiſſe, ſicq; ſe adver-  
ſus frigus, calorem & alias cœli injurias muniviſſe prout  
ſim. Herodote contendit Diodorus Siculus: vel deniq; congre-  
gatos



gatos esse homines propter religionem, ut alter alterum de religione doceret. Iste opinioniones omnes & si quæ forsitan adhuc sunt aliæ, intelligendæ non sunt de causa societatis interna, quæ est & manet natura seu lumen naturale, sed de externa sive extrinsecus impellente: non de causa proxima sed remota: non de adequata sed inadequata: non de causa per se sed per Accidens, adeoq; sententiæ nostræ nil quicquam derogare possunt.

*Qv. II. Cur de Societate nuptiali primò agatur locò?*

Ratio ea est, quia hæc Societate nulla vel dignitate præstantior, vel utilitate efficacior, vel jucunditate uberior. Imò si hæc non esset societas, nulla reliquarum esse posset. Hæc principium & scaturigo est, ex qua tanquam ex fonte reliquæ promanant ac produunt. Sunt tamen nonnulli, qui herilem societatem præferre volunt, eò quod prius quærenda sint necessaria ad usum familia, quàm ipsum conjugium & uxor. Verum hoc concedimus de preparatione ad familiam non de ejus constitutione de qua hic quæritur. De uxore alenda, de liberis educandis & gubernandis non prius sollicitus quis esse potest, quam habeat. Cujus ergo cupiditas & instinctus prior, id ipsum quoq; prius: At amor se conservandi per propagationem prior, quam servos usurpandi apud omnes sana mente præditos prior est: quare manet, societatem conjugalem, ut utilitate efficacissimam, jucunditate uberrimam, dignitate & antiquitate præstantissimam, ita primò ante omnes locò tradendam esse.

*Qv. III. An morti vicinus matrimonium inire queat?*

Affirmativa vel inde patet, quod mutuus consensus & animorum conjunctio matrimonium constituat, non verò conjunctio corporum. Hæc enim matrimonium non constituit, sed confirmationem consequitur & confirmat.

*Qv. IV. An muti & surdi matrimonio jungi possint?*

Nos affirmamus, quia licet consensum nec in manu nec



rent signis externis. Nam si de jure valet consensus  
per epistolam significatus, cur non etiam valebit consensus  
per signa certa & aperta declaratus. Adde quod existimetur  
etiam consentire, qui evidenter non dissentit, cum adducit  
*Lombardus lib. 4. dist. 29. & expressa lex hac de re habetur  
Num. 30. vers. 5. & 12. qui presens & sciens tacet, consentire  
videtur.*

*Qv. V. An matrimonium cum quavis persona  
licitum sit contrahere?*

*Quæritur ergo de matrimonio contrahendo, non de con-  
tracto. Si matrimonium fuerit contrahendum, merito à con-  
jugali societate excludendi infideles Christi & ecclesie hostes,  
cujusmodi sunt Judæi, Turcæ talesq; hæretici, qui fundamen-  
ta Christianæ religionis convellunt. Item furiosi, si furor fue-  
rit continuus non saltem periodicus. Item morbis transitivis &  
contagiosis affecti, qualis lepra est. Sed de his pluribus agant  
Theologi vel etiam Juri.*

*Qv. VI. An virgo potius sit ducenda quàm  
vidua?*

*Viduam recommendat peritia domum rectè gubernandi,  
consuetudo viro blandiendi, eidemq; benefaciendi, cognitio  
morum virorum, quos ex quotidiana cum marito demortuo  
conversazione dubio procul hauserat. At virginem extollit  
pudicitia & illæsa virginitas, ingeniosa docilitas, & morum fle-  
xilis ad viri sensum accommodatio. De individuis hic velle  
disputare periculosum est; At in specie, si comparatio insti-  
tuenda, virginem eligendam ducimus.*

*Qv. VII. An in uxore eligenda forma venustas  
& dotis magnitudo sit spectanda?*

*Requisita conjugum quædam sunt necessaria, quædam  
utilia, quædam superflua. Necessaria sunt pietas, Generis æ-  
qualitas, formæ venustas, pudicitia & prudentia economica:  
Utilia sunt opes & fortunæ bona: Superflua sunt, peritia sal-  
tandi*



tandī, cognitio lingvarum &c: Generis æqualitatem inter  
requisita necessaria referimus, quia juxta Poëtam:

*Si qua voles aptè nubere, nūbe pari.*

Formæ venustatem pariter ut necessariam requirimus, quia:

*Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.*

Quamvis verò forma non semper fuerit elegantissima omni-  
bus, sufficit si illi non deformis apparuerit, cui nubere debet.  
Reliqua, puta castitatem & prudentiam œconomiam cum  
pietate necessaria esse, nemo est qui dubitat, etsi absq; his  
fuerint opes, melius indotata & quæ sine labe est, præfertur  
dotatæ cum labe. Felix est qui conjuncta hæc reperit re-  
quisita in conjuge imò felicissimus, sed inventu valdè diffici-  
lis, cum his virtutibus prædita sit

*Rara avis in terris nigroq; simillima cygno.*

*Qv. VIII. An consensus parentum ad matri-  
monium liberorum sit necessarius?*

Consentum personarum contrahentium necessarium  
esse nemo est qui dubitat. Neq; nos dubitamus, consensum  
parentum ut necessarium requirere cum idem asserat  
lex divina, naturalis, & civilis, nec abnuat jus canonicum.  
Sed *Bellarminus cum suis Lojolis lib. 1. de matrimo. c. 19.* ad  
enervandam parentum in liberos potestatem negativam tue-  
tur sententiam, cui frigidam suffundit *Grotius lib. 2. de jur.  
bell. & pac. c. 5. §. 10.* cujus verba citat *Cl. Cellarius l. c. Conce-  
dunt quidem consensum illum parentum requiri de honestate,  
sed non de necessitate.* Verum etsi nos non spectemus hic  
consensum parentum tanq. causam formalem, uti vult *Bene-  
dict. Aretius Calvin. in L. C.* sed saltem ut causam efficientem  
secundam, nec asseramus necessitatem simpliciter talem, præ-  
sertim ubi parentes sunt vel mortui, vel in locis procul disti-  
tis captivi, vel furiosi, vel ex avaritia & aegritia consentire  
nolunt, invicem dissentiunt & sic jure suo abutuntur; attamen  
ubi parentes adhuc sunt vivi, præsentis animi & judicii,  
quando sunt in loco, nec vitio quòdam naturæ laborant, ibi  
consensum eorundem necessarium omnino esse, constanter  
tuemur, si non semper expressum, tamen tacitum, adeò qui-



dem, ut si consensum illorum liberi non ab initio statim contractus petierint, postmodum disensus sui rationem dare non teneantur.

*Qv. IX. An consecratio Sacerdotis in matrimonio sit necessaria?*

*Consecrationem* hanc e natura gentes ut necessariam haufisse, adduci non possum, ut credam: habuisse tamen eodem ejus notitiam a judæis vel ipso etiam Adamo ad posteros longâ serie propagatam, verisimile est. Hinc non queritur adeò de consecratione inter gentiles observata in matrimoniis liberorum contrahendis, ubi constat multas ceremonias & idololatricos ritus eosdem habuisse, multos itidem Deos Deasq; coluisse. Sic cum jungebantur mas & foemina, aderat *Deus jugativus*: Cum nupta domum deducebatur *Deus domiducus*: ut in domo sit, *Domitius*, ut maneat cum viro *Mantuaria*, &c. *Quam de eadem inter fideles observanda*, & hanc non nudam dicimus cerimoniam, sed eam cum benedictione divina conjunctam esse. Nam Adam, non suo arbitrio sibi asociabat Evam, sed Deus in primo illo conjugio primas quoq; sibi vindicabat partes. Et Christus hanc conjunctionem inseparabilem Deo ascribit *Matth. 19. v. 6.* Quicquid autem Deus ibi præstitit immediatè, illud hodiè efficit per ecclesiæ ministros in consecratione, quæ eundem effectum habet, ac si à Deo immediatè fuisset profecta. Non ergo audiendus *Bellarminus. lib. 1. de matrim. c. 7. & 8.* nudâ autoritate decertans: neq; *Petræus aut Arniseus ex politicis*, quibus satisfacit *Excell. Dn. D. Wendelerus in Philos. pr. p. 525.*

*Qv. X. An liceat uni viro multas simul seu uxores seu concubinas, & uni foemina multos simul maritos habere.*

*Negativa* ex Thesis constat, loquendo de *Polygamia simultanea*, successivam enim nemo prohibet. Nec essent adeò, quæ hic opponi possent, nisi unicè exempla Patriarcharum sanctissimorum, qui in Polygamia & concubinato vixerunt multi obstarent, & idem quoq; multiplicatio civium in Re-  
publi-



publica promovenda perſvadere videretur. Verùm his dubiis facile poteſt fieri ſatis, dummodo ſciamus, *Deum in V. T. multa permiſiſſe, ſed non approbaſſe, multo minus præcepiſſe.* Nec adeò à peccato abſolvere poſſumus Patriarchas, quamvis non ex malitia, ſed ex conſuetudine inveterata & publica à Lemecho introducta eos peccaſſe dicendum ſit omninò. Ratio à multiplicatione civium, in Republ. promovenda unicè à finis bonitate apparenti petita, nulla eſt. Non enim actionem ſpecificat, bona finis intentio, ſed inſuper ad eandem requiritur Objectum bonum & circumſtantia bona ac legitima. Sicuti non licitum eſt artem exercere prædatoriam, ut Rempublicam ditemus: ita nec conſeſſum eſt per media illicita multiplicare eandem. D. Stebenthal. Exerc. polit. 2. q. 12. diſtingvit inter jus divinum & humanum, atq; jure humano affirmandum eſſe quæſtionem judicat, ſed non jure divino. Verum fallit & fallitur, dum aliquid jure humano concedi poſſe ſtatuit, quod jure divino prohibitum eſt. Qvalis enim jam eſſet harmonia inter iſta jura? contraria forent, non subordinata amplius, quod abſurdum.

*Qv. XI. An cœlibatus præſtantior matrimonio?*

*Commodum Reipublicæ ſi attendamus, dubio procul quæſtio ſimpliciter neganda, quia matrimonium conſervat genus humanum & Rempublicam civibus adauget atq; multiplicat: cœlibatus verò eſt contrario genus humanum tollit ac deſtruit, decrementum atq; interitum Reipublicæ affert. Quoad uſum Theologicum idem omninò dicendum, cum matrimonium fundetur divino inſtituto, ſecus cœlibatus: Illud etiam impenſius gloriã divinã celebrari poteſt, cum plures plura ſuſcipere vota queant, quam unus vel ſinguli. Adde quod ipſa natura matrimonium ſvadeat, cum rariffimè homines inveniantur, qui hunc naturæ ſtimulum cohibere & frenari poſſint. Loquimur autem de matrimonio puro atq; legitimo, non impuro, aut pravis cupiditatibus polluto, hoc enim cœlibatu præſtantiorem eſſe facile concedimus.*

*Q. XII.*



*Qv. XII. An uxor in potestate mariti an patris?*

Non tantum uxorem sed & maritum sub potestate patria esse nonnulli, sed sine fundamento, asserunt. Nos distinguentes inter imperium maritale, paternum & herile dicimus, illud spectare societatem conjugalem, istud paternam, hoc verò herilem. Deinde distingvimus inter potestatem vitæ & necis, quam nec maritis nec parentibus hodiè concedimus: & inter potestatem maritalem atq; paternam. Hanc vindicamus parentibus, illam maritis, atq; sic uti potestas maritalis absoluta non est, sed respectiva: ita quoq; paterna absolute se non habet, & sicuti liberi à patria potestate liberantur vel per Officium publicum, vel per mandata à quibus scriptura & natura homines dehortantur, vel per nonnulla adiaphora, quale quid est, quando contra sententiam medici patri febricitanti vinum nociturum filius porrigere haud debet: ita quoq; per conjugium ab eadem solvuntur, quia sequitur meritò uxor familiam viri & mariti sui, quod non tantum jure divino confirmatum sed & jure Romanorum & omnium gentium comprobatum. Provocat quidem Bodinus lib. 1. de Republ. c. 3. ad exemplum Romanorum, quos ex lege Romilia vitæ ac necis potestatem in uxores habuisse, & hanc postmodum à Longobardis & Gallis usurpatam fuisse scribit teste Casare lib. 6. de bello Gall. Verùm exempla hæc legem nobis non faciunt. De Veteribus Romanis hoc concedimus, hanc tamen legem à posteris abrogatam esse novimus. Nec Casar in Longobardis & Gallis hanc consuetudinem laudat, sed reprehendit. Frustra ergo maritis & parentibus hanc potestatem immeritò ablatam statuit & restituendam contendit.

*Qv. XIII. An maritus in uxorem habeat imperium?*

Si de quæstionis quidditate sermo fuerit affirmandam eam esse tum scripturæ tum naturæ liber svadet. De Qualitate verò si disquiratur, quale scilicet illud sit imperium, affirmatio difficilior est præsertim si quærat an illud ad usq; verbera sese extendat? Pl. Rev. Dn. D. Wendelerus cit. l. 821. svadet, virum non nisi prius omnibus tentatis mediis ad verbera descendere debere. Quod si verò aliter cum uxore vita non possit transigi, malo nodo quærendum esse malum cuneum.

T A N T U M.



DISPUTATIO POLITICA TERTIA  
*De*  
Societate Herili atq; Paterna,

PRÆSIDE  
M. JOH. MANITIO, Elect. Alumno,  
*publica ventilationi exposita*

JOHANNES CHRISTIANO Schulzen /  
Serevestâ-Anhaltino.  
*habitur die 9. Martii, horis matutinis.*

---

SECTIO I. Θετική.

Θεσις I.

Societas Herilis est naturalis & legitima Domini & Servi conjunctio ob conservationem facta.

Ex Θεσις 1. Absolutâ societate *primariâ* ac fundamentali, tendimus jam ad *secundarias* quasi, & ex *primaria* illa fluentes, ad Herilem scil. atq; paternam, quæ ad minimas & simplices rectè referuntur.

2. Prior istarum dicitur Herilis, *vel à Persona primaria*, quæ Herus est, *vel quia nominatô unô relatorum*, facile concipitur & alterum, quùm hæc relatorum aliàs natura sit, ut non tantum simul sint, sed & simul concipiantur.

3. *Naturalis* audit, quia secundum naturam sunt Societates primæ, & secundum naturam etiam quibusdam conveniunt. Sic dominium naturâ convenit meliori, ut imperet ignobiliori seu servô. Sicuti animæ tanquam nobiliori nostri parti competit imperium in ipsum corpus: quemadmodum Soli tanquam præstantiori competit quasi dominium seu prærogativa in reliquas stellas: ita & Domino tanquam digniori & præcellentiori imperium ratione servi tribuendum naturaliter.

4. Additur etiam *legitima*, ne quis existimet, naturam violenti cum Servis procedere modo, dum tantâ agendi promptitudi-

F

ptitudi-



ptitudinem ac in rebus gerendis facilitatem illis non concessit, atq; Dominis. Sapientissima mater natura est, & quid facto opus sit, novit optimè. Si omnes dominarentur, quis tandem servus foret, quis coleret terram, quis pasceret pecora campi? Ideò ne in necessariis deficeret ipsa, prospexit sibi probè.

5. Porro sit mentio *Generis*, quod est *conjunctio*, & genus adæquatum est latiusq; patet, quàm hæc herilis Societas, quùm non tantùm de Societate quâ tali, sed & de nuptiali atq; pater-  
na insuper prædicetur, nec tam corporum, quàm animorum conjunctio est, ut supra observatum.

6. Subjectum hujus Societatis est Dominus atq; servus. Dominus in genere est persona habens servum. Et Servus persona habens Dominum. Quomodo dominus atq; servus in specie dividantur in thes. seqq. luculentius apparebit.

7. Deniq; annectitur finis, qui est conservatio seu com-  
modè vivere. Aristot. lib. I. Polit. c. 5. ait: Ut ille, qui vel ob negotiorum pluralitatem, vel ob virium defectum omnia per-  
agere non potest: ita & illi, qui ob debilem intellectum suis non possunt prospicere rebus, indigent Domino, qui, quid sit faciendum, præcipiat.

8. Atq; sic in genere hanc societatem explicuimus, hujus ut exactiorem notitiam adipiscamur, paulo specialius ean-  
dem quoad subjecta, divisiones & finem speculabimur.

*Tit. II.* Servus dividitur in naturalem & legalem.

*Ex Tit. I.* Dicitur quidem *servus* alias à *servando*, propterea quòd illi, qui jure belli possent occidi, à *Servatoribus* cum *servaban-  
tur*, *Servi* fiebant, ut *August. lib. 19. de C. D. c. 15.* hanc Etymo-  
logiam suppeditat, juxta quam si divisio nostra dijudicetur, alterum ejus membrum corruet facile, eò quod sic nulla natu-  
ralis foret servitus, cum Servus captivitate talis ad legales per-  
tineat, ut postmodum audiemus. Hinc quum Etymologia hæc non sit universalis, sed saltem particularis, generaliore  
eam & universaliorē existimamus, quâ servus à *serviando* di-  
citur, eò quod *Domino suo inserviat*. Atq; hæc derivatio tum ser-  
vo naturali, tum legali communis est, adeò ut in ipso etiam  
nomine divisionis fundamentum reperias.

2. *Alte-*



2. *Alterum divisionis membrum* è re ipsa petitum est, eò quod quidam inveniuntur à natura adeò servilis & abjecti Genii & ingenii, ut nec se, nec suos regere valeant, utut aliàs lege essent liberrimi; Quidam verò lege Servi reperiantur tantà ingenii felicitate præditi, ut facile multis, imò toti cuidam Reipub. summa cum laude præesse possent.

Θέσις III. Servus naturalis à Philosopho definitur, quod sit organon animatum, rationis particeps, activum, separatum, secundum naturam non sui ipsius sed in totum alterius.

Ἔγξις I. In hac *Servi naturalis definitione* singula verba peculiarem merentur explicationem. Dicitur I. *organon*, ut cum propter alium esse denotetur, eò quod paterfamilias in domo opera & ministerio Servi tanquam instrumenti ad negotia domestica expedienda utatur. Neq; tantum organon est Servus, quando actu operatur, sed & tunc est & manet instrumentum, quando ab opere cesat, ita tamen ut datà occasione denuò operari possit.

2. Additur *animatum*, ut ab inanimatis instrumentis, qvalia sunt aratrum, ligo, ferra, malleus, securis, & quibus in laboribus & operibus perficiendis utuntur aliàs rustici vel artifices, distingvatur. Illa enim ad jussum Domini nullum perficere possunt opus, at Servus tanquam instrumentum animatum bene potest.

3. Subjungitur *rationis particeps*. Itidem distinctionis gratià, ut non tantum ab inanimatis, sed & animatis, qvalia instrumenta sunt, equus, bos, asinus, discriminetur, quia servus æqvè ac Dominus ratione præditus est, qui jussa sui Domini intelligere, memorià tenere & rectè expedire potest.

4. Vocatur porrò *activum seu practicum*, quod vocabulū effectiōni contradistingvitur, quia aliud est *πῶνσις*, aliud *πράξις*. In effectiōne utitur opifex instrumentis inanimatis, quilibet & ipse servus uti potest: at Dominus in suis actionibus utitur servo, tanquam instrumento animato, nec propriè dicitur *πῶνσις* sed *πράξις*.



5. *Separatum* insuper nominatur organon, ut ab inseparatis distingvatur organis, qvalia sunt pes, manus, &c. Servus namq; potest etiam Domino absente demandata opera perficere.

6. Deniq; concluditur his verbis: *secundum naturam non sui ipsius, sed in totum alterius.* Hæc verba jam distingvunt servum naturalem non tantum à legali, sed & mercenariis. His utiq; & pater familias in domo nonnunquam potest uti pro instrumentis animatis, at tamen in totum non sunt patrisfamilias; Servo itidem legali utitur paterfamilias eodem modo, ille tamen non est secundum naturam, sed lege & constitutione talis: At servus naturalis totus totus, quantum quantum est, secundum naturam est & manet alterius, nec nunq. fit sui ipsius, sed à natura adeo abjecti & servilis est ingenii, ut neq; se neq; suos regere possit. Imò videas talem servum ad tempus sibi relictum aut fame periturum aut ad stipem adactum iri.

**Defin. IV.** Servus Legalis est, qui vel in bello capitur, vel propter certas causas alterius potestati est subiectus, ad cuius arbitrium vivere cogitur.

**Defin. 1.** *Servus legalis* quoad omnia fermè coincidit cum naturali, cujus etiam natura & conditio ex illius statu optimè poterit conspici, dum modo ultima tollas verba, secundum naturam non sui ipsius, sed in totum alterius. *Servus enim legalis non secundum naturam, sed contra naturam alieno dominio subiectus est, & sæpè tantà ingenii & iudicii felicitate præditus, ut indignus sit, qui serviat, adeo ut hanc ob causam non nulli quondam talem servum nominare noluerint, sed barbarum tantum, teste Philosopho, dicere maluerint lib. 1. pol. c. 6.*

2. *Causa servitutis hujus primaria est bellum, quando quis bello capitur & à victore servatur cum potuisset occidi. Et hi servi etiam propterea in jure Civili mancipia dicuntur à manu capiendo. Manceps enim, teste Pompejo Festo est, qui manu capitur. Sic Jagello Rex Polon. Anno Christi 1430. constituit in publicis comitiis, ut captus capientis servus esset. Cramer. l. 19.*

3. Est verò hæc servitus, vel justa vel injusta, prout bellum vel justum vel injustum est.

4. *Alia*



4. *Alia servitutis causa est venundatio, non qui à militibus venditur, talis enim duplici jure fieret servus, sed qui pro seipso pretium accipit & libertatem suam vendit.*

5. *Inter servitutis causas referimus tertio damnationem ad metalla, quando quis ad mortem damnatus salvatur & in servitutem damnatur, quippe quæ pœna mitior videtur, quàm ipsum capitale supplicium.*

6. *Deniq; ex conductione servus fit legalis, qui ob certam pecuniam Domino alieno operam suam ad tempus addixit. Et hæc temporaria tantum est, ac satis moderata servitus, nec tales servi quoad omnia servi sunt, nec tamen simpliciter ingenui.*

7. *Quomodo præterea aliquis servus fiat sententiâ vel ob magnitudinem debitorum, vel quando ingenua mulier nupsit servo, vel revocatione ob ingratitude, illud prolixius hic non explicabimus, neq; integrum est ad specialia quæq; descendere.*

§. V. *Dominus dividitur etiam in naturalem & legalem.*

Ex §. I. *Si de fundamento quæras, nullum aliud dare possumus, quàm quod supra circa divisionem servi dedimus, scil. quod quidem ingenuis nonnulli nascantur parentibus, sed nil minus quàm ingenui. Hi itaq; lege Domini sunt, sed natura servi, quia ingenuitatem non servare possunt, sed demortuis parentibus vel curatoribus subdi, vel aliorum consilia & auxilia petere debent, donec ita consumptis paulatim patriis bonis, vel ipsi, vel ipsorum filii & posterii extremam ad servitutem redigantur. Legalis autem Dominus, qui & natura & lege simul est, ac propriè sic dictus Dominus audit.*

2. *Vocatur autem Dominus vel à domo, eò quod domui præsit, & in familiam imperium exercent, vel à Dominando, quia dominium in alios exercet. Aliàs dicitur Herus.*

3. *Neq; sermo nobis est hic de Domino nomine tantum tali, prout in quotidiana conversatione viros honoratos honoris causa dominos appellare solemus; sed de Domino ratione tituli & exercitii simul tali, qui domui & familiæ præest, vel ad minimum præesse debet.*



**§. VI.** Dominus naturalis est, qui mente potest prospicere id, quod alter corpore debet facere.

*Ex §. I.* Opponitur hic Dominus naturalis seruo naturali, qui prospicere id non potest, sed alio opus habet, qui facienda prospiciat ac imperet.

2. De existentia talis Domini dubitandum non est illi, qui servum naturalem concessit antea. Posito enim uno, relatorum ponitur & alterum; Imò non existimandum naturam tantum produxisse id, quod ignobilius est, si non pariter etiam nobilius produxerit, aut quomodo illud ignobilius judicari possit, si nullum esset nobilius.

3. Describitur verò hic Dominus à naturali sagacitate & ingenii iudiciiq; felicitate, ut, sive alias lege Dominus, sive servus fuerit, nihilominus aliis bona dare consilia & salubria de re proposita ferre iudicia potis sit.

**§. VII.** Dominus Legalis est, qui bello sibi acquirit Dominium aut pretio servum facit suum.

*Ex §. I.* Quot modis servitus legalis sese habebat, tot etiam modis dominium hocce sumi potest. Sicuti enim *Servus legalis fiebat, vel per capitatem in bello, vel per emptionem, vel per damnationem ad metalla, vel per conductionem, vel per sententiã, vel per spontaneã libertatis posthabitionem, vel per revocationẽ ob ingratitudinem*: Ita & Dominus, *vel est per partã & acquisitã victoriam*, si enim bellũ justum fuerit, nullam video causam, cur victor suam victoriam non persequi & hostes in acie victos aut trucidare aut inskar mancipiorum sub jugum mittere possit? Deinde *emptione fit Dominus*, quando quis emit certo pretio, *vel in militia captum vel alio quocunq; modo sub jugum missum, vel si redimat damnatum, aut conducat certã pecunie summã spontaneum libertatis contemptorem, vel si antea Servum manumiserit, illi verò servus nõ præstet a vitio* ob hanc ingratitudinem ad priorẽ servitutem revocare potuit Dominus servum peres Romanos aliosq; populos, quamvis plerãq; istius servitutis species hodiẽ sint sublata.

2. Est verò hic Dominus non statim naturalis, sed ideò  
quia



quia legalis est, naturali contradistinguitur. Nonnunquam tamen uno in subjecto convenire possunt, sicuti non semper nobilis virtute est, qui genere talis est, quamvis saepe utrumque in uno subjecto coalescat, ita pariter se res habet cum tali Domino.

§ VIII. Finis istius Flerilis societatis dicebatur antea conservatio seu commode vivere.

Ex § I. Ut rerum omnium certus finis debet esse propositus, ita etiam hujus societatis dubio procul certus & determinatus finis erit. Ecce conjungerentur Dominus & servus, nisi ut se mutuò adjuvarent, ac Dominus servo de necessariis prospiciat, & Servus è contrario Domini iussa expediat, bonaque Domini sui in quantum potest, & quantum in se est, promoveat?

2. Uterque verò & Dominus & servus conservari & commode vivere debent, imperans & parens natura propter conservationem & sine necessariis, (inter quæ respectu servi Dominus, respectu Domini servus) bene vivere est impossibile, ait Arist. lib. 1. Polit. c. 2. & 4. Et lib. 1. c. 5. comparisonem instituit: *ut enim ille, inquit, qui ob negotiorum multitudinem omnibus praesesse nequit, aut corporis ob subtilitatem omnia agenda peragere prohibetur: ita illi, qui debilem ob rationis usum suis bene rebus praesesse non possunt, ut commode vivant, tali, qui, quid faciendum, jubeat, indigent: melius quippe est, ut illis imperetur.*

3. Utilitas verò hujus societatis primario attingit Dominum, & secundario Servum respicit. Imperat enim Dominus pro sui utilitate primario, secundario verò & quasi per accidens pro utilitate servi, utriusque tamen dominium reverà tum naturam Domino, tum naturam Servo utile est.

§ IX. Hæc societas naturalis certa quoque tum à Domino, tum à Servo postulat officia.

Ex § I. Si enim non utrinque quisque quid faciendum est, faceret, corrueret facile tum Servitus, tum Dominium.

2. Domini officia, vel spectant res, vel personas. Ratione rerum consistunt ea in legitima rei domestica administratione, ad quam pertinet 1. habere propriam domum. Nam *ὅτι ἡ οἰκία, ἢ ἡ ἀεὶς* 2. locupletare rem familiarem, vel per  
agri



agriculturam, vel per pecuariam, vel per mercaturam, vel alio quocunq; modo haud illicito. 3. *possidere rem familiarem*. Habebit ergo Dominus diligentem rerum mobilium custodiam, ne ea abalienentur. 4. *ne tantum possidere, sed & exacto vitae spatio testamento legitimo eam suis heredibus legare*. Quæ omnia si probè observaverit paterfamilias, rem familiarem rectè administrasse dicendus est.

3. *Ratione Personarum Domini officia spectantur in familiæ cura sollicita, quæ requirit. 1. nutritionem, ut servos & ancillas alat, vitæq; necessaria comparet. 2. gubernationem, quæ consistit partim in directione, ut servos in officio contineat, & illis, quid faciendum injungat; partim in correctione verbali, raro imò rarissime reali. 3. remunerationem, ut Dominus nonnunquam Servis benefaciat, eorum labores beneficè remuneretur, ne necessitate adacti furentur, eosq; si diligentes sint, amet, & quantum potest promoveat.*

4. *Officia servorum potissima ea sunt, ut 1. Dominos ament & omni reverentia dignos judicent. 2. Dominis suis obediant, 3. fideles sint Dominum partim defendendo, partim Dominum suum non deserendo sive in re familiari sive alia quâdam in re, partim & multo minus vel ipsum vel arcana eius prodendo, aut vitæ Domini insidias struendo, quod à Tyriis factitatum Servis Justin. l. 18. memoriæ prodidit. Et deniq; 2. castitatem morumq; integritatem sanctè conservent, ne vel uxor, vel liberi aliq; conservi corrumpantur.*

5. *Officia hæc servi hieroglyphicè & eleganter delineavit quondam Apelles pingens servum auribus asininis, naribus porcinis, manibus omni instrumentorum genere refertis, bumeris patulis, macilento ventre, pedibus cervinis, labiis duabus seris clausis & obseratis. Per asininas aures significare voluit servum debere esse tardum in audiendis Domini consiliis: per nares porcinas velocitatem in olfaciundo herili cōmodo; per manus instrumentis plenas voluntatem ad omnia subeunda opera; per humeros patulos robur ad omnia sustinenda onera; per macilentum ventrum vitæ frugalitatem; per pedes cervinos corporis agilitatem; per labia duabus seris clausa & obserata animi fidelitatem in servo indicare voluit. At quis hodiè*



hodiè talem aut ubi reperire licet servum? Societate hâc explicatâ pergimus ad alteram nempe Paternam.

**§. X.** Societas Paterna est naturalis & regia Parentum cum liberis Conjunctio ob utilitatem & adjumentum instituta.

**Ἐκθεσις 1.** Ultimam inter Societates simplices hanc referimus. Nam domesticam societatem constituunt mas & foemina, quorum triplex est *συσζυγία* seu *συνδύασις*. Vel enim considerantur respectu conjugii, unde dicuntur maritus & uxor; vel respectu Domini, & dicuntur Dominus & Domina in ordine ad servos; vel respectu generationis & dicuntur parentes in ordine ad liberos. In disertatione præcedente egimus de prima, modò consideravimus secundam, jam ad tertiam accingimur.

2. Dicitur societas *πατρική* à potiore hujus Societatis persona. Dicitur *τεκνοποιητική* seu talis *συσζυγία*, in qua liberorum susceptorum cura habetur, non verò illa, quæ liberorum procreandorum causa suscipitur, aliàs quippe nuptialis foret.

3. Dicitur *naturalis*, quia omnes hæ societales primæ secundum naturam sunt. Et hæc propterea, quia naturalis *συσζυγία*, affectus & amicitia semper est inter Parentes atq; liberos.

4. Dicitur *Regia*, quia formam regni habet, in qua superior inferiori imperat & inferior superiori obedientiam debet, non secus atq; in regia potestate fieri solet, ubi summa potestas penes unum est.

5. *Genus denuo conjunctio* est. Conjunguntur enim in una domo, licet non statim quoad corpora, tamen quoad animos in una familia, utut ad hujus constitutionem non requirantur, reperiuntur tamen non nisi in eadem.

6. *Differentia* reliquis verbis exprimitur, quæ continent *subjectum & finem*, de quibus specialiter jamjam acturi sumus.

**§. XI.** Subjectum patriæ Societatis sunt parentes & liberi.

**Ἐκθεσις 1.** Per parentes hic non intelligimus Politicos seu civiles, quomodo magistratus Patres patriæ dicuntur. Nec senes, Præceptores, artifices vel Dominos, qui à junioribus, discipulis



discipulis & famulis Patres nominari solent. Nec Tutores aut susceptores seu testes sacri baptismatis, qui non raro etiam Patres vocantur; sed generantes, qui ex legitimo matrimonio liberos generant.

2. Tales itidem intelligendi veniunt liberi non Politici, seu subditi, nec juniores, discipuli aut servi; nec suscepti è baptismo; sed per legitimum matrimonium geniti.

Θέσις XII. Officia in hac Societate certa utrinque, tum à Parentibus liberis, tum à liberis iterum parentibus præstanda requiruntur.

Ἔθσις I. Officia Parentum, vel sunt mandata, vel prohibita. Mandata iterum vel sunt naturalia, vel moralia. Naturalia sunt legitima generatio, *σοφία*, & naturalis dilectio cum educatione ac nutritione. Moralia sunt institutio, directio, correctio, defensio & elocatio seu dotatio.

2. Officia prohibita Parentum contra se habent, & iterum tum naturalia, tum moralia sunt. Naturalia sunt. 1. illegitima generatio, hinc cavere debent parentes, ne extra thorum legitimum liberos suscipiant. 2. ἀσοφία seu paterni affectus abnegatio, quando Parentes seposito Paterno animo crudeliter in liberos sæviunt, 3. alimentorum denegatio, quando liberis victum & amictum non querunt sed denegant. Moralia prohibita sunt institutionis verae neglectio, directionis posthabito, correctionis debite cessatio & denique defensionis denegatio.

3. Pariter officia liberorum, vel sunt prohibita, vel sunt mandata. Mandata sunt 1. Reverentia tum interna, tum externa, ut non tantum affectu sed effectu, honorem præstent parentibus. 2. amoris excellentia, ut illos, qui eos vehementer amant, redament amore debito. 3. obedientia, ut in rebus omnibus honestis & licitis obedientes se præbeant. 4. Patientia, ut disciplinam domesticam patienter ferant, & novos parentum imprimis Seniorum prudenter tegant, nec malitiosè eosdem exagitent. Et 5. ἀντιπλάγηια h.e. virtus seu gratitudo ex veritate & justitia constans. Hoc est, agnoscere debent liberi, quanta à Parentibus suis beneficia acceperint, eademque recom-



recompensare studeant, & si necessitas efflagitaverit, alimenta cum primis in senectute suppeditent.

4. *Prohibita liberorum officia* è contrario sese habent, quæ sunt *irreverentia, odii vehementia, inobedientia, impatientia & arogantia*, quæ à liberis cane pejus & angve fugienda, detestanda & abominanda sunt, si præcepta divina, naturalia & moralia inviolata servare velint.

Θέσις XIII. *Finis Societatis hujus Adjumentum & utilitas est.*

Ἐκ θεσεως 1. *Adjumentum spectatur tum ex parte parentum, tum ex parte liberorum; Parentum labores sublevare tenentur liberi & jussa paterna capessere. At parentes rursus ad alimenta & alia vitæ necessaria Liberis præstanda obligantur.*

2. *Utilitas quæ hîc obtinet primaria & secundaria est. Utilitatem primariam habent parentes ex hac societate quoad usq; vivunt; & secundariam liberi: At defunctis parentibus omnem habent liberi utilitatem. Jam tendimus ad quæstiones.*

## SECTIO II. ΖΗΤΗΤΙΚΗ.

*Quæst. 1. An Societas herilis natura sit consentanea?*

*Affirmativa, ut ex præcedentibus apparet, nostra est. Ob stare tamen videtur definitio Jcti Florentini Servitutum naturalem definiens per eam, quæ quis contra naturam alieno Domino est subjectus. Nec hanc definitionem redarguit Imperator Justinianus, neq; nos eandem reprehendimus, sed sartam atq; rectam retinemus. Existimamus tamen tutius servitutum civilem, ita definiendam esse, quam naturalem. Hinc ἐναυλιότης illa, quæ fingitur inter nos & Jctos nulla prorsus est, quum aliud sit loqui de Servitute naturali & aliud, sermonem instituere de legali seu civili. Distingvimus tamen probè inter naturam ipsam, & naturæ privilegium. Natura quidem ad utramvis contradictionis partem vergere potest; privilegium verò naturæ ad indignos, ne extendatur, prohibet jus naturale. Illud τὸ contra naturam non recipit hanc interpretationem, ac si absolutè & simpliciter juri naturæ derogaret, sed tantum explicat & limitat*





tat jus naturale illudq; restringit & coarctat ad illos, qui debitam naturam libertatem inobedientia, vel alio maleficio non perdidit. Deinde notandum quod *status natura, vel ut integer, vel ut corruptus possit considerari*. Si foret adhuc integer status naturae, ne homo peccasset, omnes mansissemus liberi, & quilibet ad regendam familiam & propriam Domum sufficiens fuisset; at quia hodie status naturae jam corruptus est, ideo quidam liberi & quidam servi necessario debent esse. Natura quidem etiamnum hodie semper intendit id, quod est optimum, sed facile impediri potest ejus executio.

*Quest. II. An Servitus rectè defectus dicatur?*

*Servitutem quidam vocant pœnam præter naturam; quidam nominant violentam, nonnulli prorsus defectum dicunt.* Verùm pœna quidem est Servitus & præter naturam, si statum integritatis respiciamus; at si statum post lapsum spectemus, natura est; Deinde violenta non est servitus per se, sed ex accidente. Si enim Servus legitimò tractetur modò, naturalis est; at si modò illegitimò, per accidens fit violenta. Quod autem nostrum *Quæstio* concernit, distinguendum esse putamus inter defectum naturae & dominii. Servitus non est defectus respectu naturae, sed saltem ratione dominii.

*Quest. III. An captus bello & Servus factus sine furti crimine victori sese subducere queat?*

Respondemus breviter per distinctionem inter causam belli justam & injustam; legitimam & illegitimam. Ubi causa belli fuerit justa & legitima, quæstionem negandam; Sin verò illegitima & injusta, eandem affirmandam esse judicamus; Imò talis captus non tantum se resq; suas, sed & laboris sui mercedem, quam supra alimenta præstari æquum est, clam subducere poterit, præsertim si sine metu majoris periculi, id fieri possit. Sed audio hic aliquem obstrepentem hunc in modum: *Quicumq; jure Servus est, ille suo Domino sine furti crimine subducere sese non potest; At talis bello captus jure Servus est.* E. Minor ex præcedentibus firma est, & major per se manifesta. Stabit ergò conclusio. Sed respondemus nos, Majorem per se manifestam



stam haud esse. Valet quidem in Sensu composito, at non in Sensu diviso. Non enim quaeritur, an jure Servus sit, quod non negamus, sed an jure factus sit, quod inficiamur? Quatenus est & manet in tali statu, eum jure servire concedimus; quod si verò occasionem habeat sese in libertatem vindicandi, vel & Dominum prorsus opprimendi, tunc sicuti ille sine causa fuit oppressus & sub jugum missus; ita quoque idem respectu Domini sui praestare poterit.

*Quaest. IV. An Societas Herilis possit esse inter homines diverse religionis?*

Ex Scriptura si quaestio foret decidenda, ejus affirmatio difficilis haud esset, quia illud probari posset, *partim dictis, partim etiam exemplo Jacobi Labano Idololatra servientis.* Neque premimur difficultate, si naturam & finem istius Societatis simpliciter quoad τὸ εἶναι attendamus, cum ea non consistat in conjunctione animorum Spirituali sed saltem civili, & utilitas illa civilis quoque, tum à parte Servi, tum à parte Domini obtineri possit; Sin verò τὸ βούλει consideremus, tunc melius esse concedimus, si inter personas unius & quidem orthodoxae religionis haec Societas reperiatur.

*Quaest. V. An Parentes natura magis ament liberos, quam liberi parentes?*

Ita communiter statuunt, nec immerito. Gradus enim in amore esse, quis negabit? *Causa magis amat effectum, quam effectus causam.* Artifex saepe opus suum amat, ut non redametur. Fons magis propendet ad rivulos, quam rivuli ad fontem. *Sunt praeterea liberi imago Parentum, & Parentes demum perfecti judicantur, quando filios generarunt.* Continuarur in super per liberos generis successio, cum aliàs generis interitus metuendus, si nulla sobolis subsequatur generatio. *Accedit ultimò & clarior sobolis notitia, quae causae faciunt, majorem esse parentum amorem, quam liberorum.* Et laudandus ille parentum affectus est, si moderatus fuerit. Aliàs si sit nimius, tunc

*Magna Patrum segens facit indulgentia natos.*



*Quest. VI. An potestas Patria matri quoq; com-  
petat?*

Hugo Grotius lib. 2. de J. B. & P. c. 5. tria in liberis distingvi posse dicit tempora. Primum tempus vocat imperfecti iudicii: secundum perfecti: tertium quò ex familia parentum liberi excesserunt. Quoad priora tempora liberos in potestate parentum esse, nemo negabit facile. Quoad tempus verò tertium filii ratione suarum actionum sui juris sunt, illo tamen pietatis & observantiæ cultu debito manente. Utrum verò hæc potestas quoad tempora priora æqualis sit patri ac matri hinc disquiritur? Cum paterna Societas figuram regni habeat paterq; liberis ad modum regis imperare dicatur, videtur innui summam illam potestatem penes unum videlicet patrem esse. Nos verò, ne omni prorsus potestate exuamus matrem, distingvimus inter potestatem æqualem & inæqualem; Paretem & imparem. Mater cum Patris potestati sit subjecta, paretem cum eodem potestatem habere vix poterit. Deinde disting. inter potestatem naturalem & civilem. Naturalem potestatem jure naturali & divino tam matri quam patri competere asserimus: At Civilis potestas patri Soli assignanda videtur. Tandem probè discriminanda hic est Potestas patria à reverentia & honore naturali. Honor & reverentia naturalis patri æquè ac matri communis est, non itidem patria potestas.

*Quest. VII. An Patria potestas sit contra  
naturam?*

Patri eandem competere jam asseruimus. Sed videtur, quod ea sit contra naturam, cum mater proprio quasi jure hanc sibi potestatem vendicet, adeò ut non nisi participativè patri propter matrem eadem sit assignanda. Nam mater uterò concipit & gestat filium, postmodum magnò dolore parturit, proprio lacte nutrit, ulnis fovet, lavat, fasciis involvit & multa ejus gratia incommoda perfert, quorum nullum patri ferendum, ut adeò æquitati haud dissentaneum videatur, si ma-  
tri



tri in sobolem potestatem tribuamus primariam. *Verum*  
*hæc omnia de naturali tantum loquuntur potestate, non de civili.*  
Et ne quis dicat naturalem potestatem matris in prolem esse  
potiorem præ patria; *Respondemus*, naturalia illa esse immuta-  
bilia & semper sibi æqualia, quia tanquam causæ Sociæ æqua-  
liter etiam in generatione concurrunt. At quia in civili vi-  
ta potior ratio habetur patris atq; matris, prudentia quoq;  
majori præditus sit, atq; perfectiori virtute splendeat ac ma-  
ter, idè & major ejus potestas judicatur.

*Quest. VIII. An Potestas patria sit Tyrannica?*

*Regiam hanc atq; naturalem potestatem hætenus diximus,*  
*Tyrannica ergo non erit, neq; ad jus vitæ & necis extentenda, quo usq;*  
*secundum leges 12. tabul. Romani olim & Galli extenderunt.*  
Eandem potestatem parentibus hodiè abreptam, restituendam  
esse contendit *Bodinus lib. 1. de Repub. c. 4.* adducens inter alia  
locum *Deut. 21. v. 8.* Sed eo ipso proprio se jugulat gladio,  
cum ibi expressè potestas & judicium in contumacem & rebel-  
lem filium senioribus tribuatur, non Patri, executio verò omni-  
bus civitatis civibus. Amor parentum svadet, filios esse casti-  
gandos, ne quaquam interficiendos.

*Quest. IX. An Potestas patria sit absoluta?*

*Absoluta non est sed limitata, alias forte foret Tyrannica.*  
Liberantur autem Filii ab hac potestate. 1. per officium publi-  
cum, quod dubio procul superius est patriò imperiò. 2. per man-  
data à quibus *Scriptura Sacra & natura hominem dehortantur.*  
3. Tandem per nonnulla adiaphora v. g. quando contrà sen-  
tentiam medici filius non tenetur patri febricitanti vinum no-  
citurum porrigere. Aliis verò in rebus v. g. in abdicatione,  
cujus in locum jam successit exheredatio, & similibus patria  
adhuc potestas valet.

*Quest. X. An parentes semper & simpliciter sint ho-  
norandi, quantumvis fuerint infames, vitiis ma-  
nifestis dediti, convitiatores &c?*

*Respondent nonnulli, nullum istorum tanti momentū*  
*esse, ut causam violandi præceptum DEI de honorandis pa-*  
*renti-*



rentibus præbere possit, quàm lex simpliciter & sine exceptione dicat: *Honora patrem tuum*. Sed ne prolixi finis, *distingvimus. 1. inter obedientiæ præstationem: & honoris exhibitionem*. In vitiis illis Filius ab obedientia Patris liberatur. Ita enim DEO magis obediendum quam hominibus, interim honorem denegare illis non potest. *Hinc distingvimus. 2. inter Personam ipsam & personæ vitia*. Ista canepus & angve sunt fugienda, interim persona honore debito mactanda.

*Quest. XI. An Filius in magistratu constitutus Patri privato præferendus?*

*Filius consideratur vel absolute ratione originis, vel relative ratione dignitatis. Priori modo consideratur ut privatus & extra forum, atq; sic minor patre est: posteriori vero modo publice in foro & sic major est patre eiq; præferendus, quia tunc non propriam sed totius civitatis gerit personam, ut Cic. lib. 1. de officiis loquitur.*

*Quest. XII. An Filio contra Patrem concessa sit defensio?*

Est concessa, verùm non in casibus quibusvis, sed saltem in iis, ubi Pater vel ad patriam turbandam & delendam, vel ad Filium non effugere valentem interficiendum properat: adeoq; in casu necessitatis defensio legitima concessa est, non verò illegitima, ubi jus inculpatae tutelæ violatur. Concessa est tum in iudicio coram iudice, ubi Filius alimenta denegata à patre, & Filia dotem recusatam postulare possunt: tum extra iudicium, ubi defensio violenta necessaria est, quâ filius se saltem defendit, patrem autem non lædit. Alias extra hos casus nulla defensio legitima est, maximaq; poenâ solent affici, qui manus inferunt parentibus. Qui verò planè ad internecionem properant, illi jure, ut Parricide neq; gladio neq; igni, neq; ulli alii solemni poenâ subjiciuntur, sed culeo insuti cum cane & gallo gallinaceo, vipera & simia, vel in mare, vel in vicinum amnem projiciuntur, ut ita vivi omnium Elementorum usu carere incipiant, cælumq; illis superstitibus & terra vivis eripiatur. Ab hoc scelere hæcq; poenâ omnes probos DEUS clementissimè immunes præstet!

**T A N T U M.**



DISPUTATIO POLITICA QUARTA  
De  
Societatibus Compositis,  
Domo, Pago & Civitate,

PRÆSIDE  
M. JOH. MANITIO, Elect. Alumno,  
*publicæ ventilationi expositæ*

CHRISTOPHORO KLEMMIO,  
Serveftano,  
*die 16. Martii horis matutinis.*

---

SECTIO I. Οἰκίη.  
Θέσις I.

**D**OMUS est Societas naturalis ex Societate nuptiali & herili ad quotidianum usum constituta.

Ἐκ θέσεως 1. Post simplices societates seu primas progredimur nunc εἰς τὴν πρῶτην θεσιν ad compositas, sive eas, quæ ex primis ortæ sunt & secundæ dicuntur, quas inter primum occupat locum domus, & ideò prima audit societas, *non eò sensu*, quò nuptialis, herilis & paterna primæ dicuntur: *sed hoc*, quia ex his duabus societatibus prima est.

2. Dicitur aliàs *familia*, Item γένος seu *genus* lib. 3. polit. c. 9. οἰκία lib. 1. Polit. c. 3. & lib. 8. Ethic. c. 14. οἶκος lib. 1. polit. c. 2. seu *Domus*, dubio procul propterea, quia hujus societatis personæ una in domo habitare solent.

3. Describitur domus *non materialiter* pro ædificio, quod constat fundamento, parietibus, tecto & aliis ad id pertinentibus: *sed formaliter*, prout familia est, in qua conjuges, maritus atq; uxor, dominus atq; servus consociantur.

H

4. Dici-



4. Dicitur *naturalis*, quia ex naturalibus societatibus, nuptiali scilicet & herili constat. Aliàs *Monarchica* audit, quia unus ibidem est, qui imperat nempe paterfamilias. Hanc tamen Monarchiam exercet non unò, sed diverso modò, aliter imperat ut maritus uxori, aliter ut Dominus servo, aliter ut pater liberis. Uxori πολιτικῶς, ita ut & illi in quibusdam imperium permittat: Servo δεσποτικῶς, ita ut per accidens ejus utilitatem intendat; Liberis βασιλικῶς, ut ipsorum primariò commòdum quærat.

5. Generis loco ponitur *societas seu communio*, quia domestici multa habent communia, nempe locum & domum, quam inhabitant, tectum sub quo cubant, focum, ignem & fumum apud quem se calefaciunt, mensam, in qua cibum capiunt, fontem vel puteum, unde aquam ac potum hauriunt &c. reliqua verba *differentiæ loco addita exhibent subjectum & finem*, de quibus peculiariter in thes. seqq.

Θέσις II. Subjectum hujus societatis sunt maritus & uxor, dominus & servus.

Ἐκθεσις I. Ut enim nuptialis societas sine marito & uxore, herilis sine domino & servo esse non potest: Ita nec familia sine his consistere potest.

2. Cum verò maritus à Domino non sit diversus, nec uxor à domina, ideò ad familiam constituendam tres ad minimum requiri personas, oppidò fluit. Ita tamen tribus personis opus esse dicitur, ut plures tam servi, quàm liberi adesse possint.

Θέσις III. Finis istius societatis quotidianus vitæ usus est.

Ἐκθεσις I. Finis iterum hic non *universalis gloria* nempe DEi; nec *speculativus seu theoreticus*; sed *practicus* & ille quidem specialis ad usum quotidianum accommodatus spectatur.

2. Per hunc finem societas hæc à civili differt, quæ non propter unius aut alterius saltem hominis, aut exigui temporis usum constituitur; sed quæ totius alicujus civitatis vel etiam regni & nationis commune & perpetuum bonum respicit, censebat Theoph. Golio lib. 1. polit. c. 1. pag. 14.

Actus.



3. Actus namq; humani quidam sunt quotidiani & naturales; quidam non quotidiani & civiles. Ad illos actus peragendos refertur hæc societas; at actus non quotidiani, quales sunt pugnare, mercari, venari &c. huc non pertinent, nec quotidie fiunt ac exercentur.

Θέσις IV. Pagus est societas prima plurium familiarum consuetudinis non quotidiana gratia constituta.

Ἐτυμολογία 1. Pagus dicitur à græca voce πηγή i. e. fons, scatebra sive aqua saliens, pro quâ voce Doræ dicebant πηγή eodem sensu, adeò ut pagus sit locus, in quo homines propter commoditatem alicujus fontis convenerunt; vel etiam ἀπὸ τῶν πηγῶν, ut pagus dicatur locus, ubi plures fontes sunt, circa quos homines habitare gaudent, ut facilis sit aquatio, *Autore Festo.*

2. Ab hoc pago dicuntur *pagani*, quod vocabulum vel sumitur *Politice*, pro rusticis in pagis habitantibus, ut hoc in loco. 2. *Theologicè* pro gentibus sive hominibus Ethnicismo addictis, qui primi ita dicebantur tempore Constantii Constantini M. filii Imperatoris, qui ex suo exercitu milites non Christianos exautoravit & in pagos remisit.

3. Vox ergò pagi aliter sumitur *historicè*, aliter *Politice*. *Historicè* nimis latè sumitur à Romanis scriptoribus, Julio Cæsare & qui eum sequuntur, pro toto districtu ac collectione multorum vicorum, comprehendente aliquot milliaria Germanica, quemadmodum tempore Julii Cæsaris Helvetia fuit distincta in quatuor pagos; hodiè verò tredecim numerantur. *Politice* & strictè accipitur pro rusticanis domibus in unum coagmentatis absq; munitionibus & muris.

4. Dicitur aliàs *Vicus*, qui Varroni lib. 1. de LL. dicitur, quod in eo sint ex utraq; parte viæ domus certis spatiis distinctæ. Saxones dicunt *vick* unde *Brunsvick* quasi Brunonis vicus.

5. Sunt verò *vici* duplices vel *urbani* vel *Pagani*. *Vici urbani* sunt plateæ in urbe ex utraq; parte ædificiis connexis & coherentibus cinctæ; *Pagani* autem sunt pagi ex pluribus villis domibusq; rusticis coagmentati, spatio aliquali ab urbe remoti, nullisq; mœnibus cincti.



6. *Generis loco iterum stat societas.* Annectitur verò prima ad differentiam civitatis, quæ est altera conjunctio plurium domorum & prior quoque est ipsa civitate.

7. *Distinguitur à nonnullis pagus, in pagum primæ formæ & secundæ formæ.* Ille oritur ex illis, qui sanguinis propinquitate se invicem contingunt, quos ὁμογάλακτας καὶ παίδων παῖδας i. e. collectaneos & natorum natos appellant. Hic ex illis conjungitur, qui sanguinis propinquitate juncti non sunt; Uterque tamen pagus verè & propriè sic dictus est.

Θέσις V. Subjectum pagi sunt plures domus sive familiæ.

Ἐπιθεσις I. Subjectum hinc non sunt personæ, sed familiæ. Nam sicuti familia sine personis ad societates simplices constitutivè pertinentibus non potest consistere, ita nec pagus sine familiis esse poterit.

2. Unde suâ sponte jam fuit, plures quàm tres personas ad pagi constitutionem requiri. Quot verò domus requirantur, disertè affirmare non possumus, quùm modò pluribus, modò paucioribus constare possit domibus seu familiis.

Θέσις VI. Finis hujus societatis sunt actus non quotidiani.

Ἐπιθεσις I. Finis iste necessarius adeò non est, atque ille familiæ erat. Ille enim quotidianus erat hic verò non quotidianus. Quibus verò quotidie opus habemus, magis necessaria judicantur illis, quibus non indigemus.

2. Necessarius tamen est ratione hujus societatis. Nam quemadmodum familia ob actus illos singulis diebus necessarios est instituta: ita pagus institutus est ob actus singulis diebus haud necessarios, quales actus sunt emere, vendere, pugnare, arare, mercari &c.

3. Videmus autem inde, pagum nihil aliud esse, quàm propagationem quandam familiæ. Nam quando familia aucta est, ut in unâ domo habitare amplius non possint, domos multiplicant & in pluribus, quàm unâ habitare incipiunt.

4. Hancque ob causam monarchicam pagus gubernandi  
reti-



retinet formam, q̄ualis in domo locum habebat. In familia unus, & is quidem natu maximus præest, ita etiam in pago quondam idem fieri solebat & quidem longè meliori ordine, meliori etiam concordia, quàm hodiè! Hinc etiam factum esse, dicit philosophus, ut primis temporibus regiâ gubernandi formâ usi sint homines.

Θέσις VII. Civitas est societas ex pluribus pagis perfecta, omnibus copiis sufficienter instructa, vivendi quidem gratia constituta, consistens autem benè vivendi gratia.

Ἐκθεσις 1. Ex pagis jam oritur Civitas, quæ ad priores societates se habet, ut totum ad suas partes. Ex iis enim tum constituitur, tum in illis quoq̄; conservatur.

2. Dicitur Civitas, ut denotet vel civium collectionem, vel etiam jus civium. Unde dicitur aliàs πολιτείαν δίδοναι das Stadrechte geben/ civitate donare.

3. Vocatur quoq̄; Urbs, vocabulo deducto vel à causa instrumentali, scil. ab urbo vel urvo, h. e. curvatura aratri, & urbare vel urvare significat arare vel aratro definire. Quondam enim Hetruscò more, in condendis urbibus junctis bobus tauro & vacca urebantur, & aratro sulcum ducebant, illoque urbium condendarum magnitudinem definebant. Atq̄; hoc faciebant die auspicato religionis causa, ut fossa muroq̄; munita esset; Hinc Virg. lib. 1. Georg.

Apta dies legitur, quâ mœnia signet aratro. Conf. Varro lib. 4. de ling. lat. vel à causâ formali, ut urbs dicta sit ab orbe, quod sulcus in orbem duceretur, quia plerumq̄; Urbes ut olim, ita & hodiè in orbem fiebant.

4. Ex hoc autem urbis formali apparet, non simpliciter convenire urbem cum Civitate. Differunt verò ut subiectum & adjunctum, ut continens & contentum. Urbs enim complectitur ædificia fossa muroq̄; cincta; Civitas verò propriè civium communionem significat.

5. Hinc etiam generis loco ponitur communitio, quod hujus incolæ multa habeant communia. Dico multa non omnia.

H 3

jura



Jura civitatis sunt communia, non v erò ea, quæ cuiq; propria sunt.

6. *Perfecta* appellatur *differentia loco & respectu domorum & pagorum, non respectu Reipublicæ, quippe per eam tanquam formam magis est perficienda.* In domibus enim & pagis tam variorum ordinum, totq; homines non sunt, quot ad rerum in vitâ honestâ requisitarum sufficientiam parandam opus est, quos tamen in civitate reperire licet.

Additur quod *vivendi gratia* sit constituta. *Natura* ergò cum sui semper appetat conservationem, ut itaq; esse & vivere possit, hanc societatem primò instituit. *Ad hanc postmodum* accessit *mutuus consensus & obligatio mutua.*

8. Inventis autem legibus & honestis constitutis moribus incolæ sua non parùm auxerunt commoda, ut non modò vivere, sed etiam florere posse animadverterent. Ad quem societatis florem non parùm faciunt loci opportunitas, aquarum usus, aëris salubritas, murorum præsidium & deniq; decens domiciliorum structura.

Θέσις IIX. Objectum Civitatis sunt plures pagi in perfecta communiōe spectati.

Εκθεσις 1. Hic habemus *Objectum materiale, quod non sunt familiae, nedum persone, sed pagi plures, ex quibus civitas componitur. Formale deinde consistit in perfecta communiōe, ita ut habeat omnium rerum ad vitam necessariorum ἀποθέκεα.*

2. Efficientem causam hîc prætermittimus, quippe quæ eadem est cum aliis societatibus præcedentibus, *universalis nempe Deus, particularis verò ipsa natura.*

Θέσις IX. Finis hujus societatis est duplex; *Generalis, qui est τὸ vivere; specialis, honestè & ex virtute vivere.*

Εκθεσις 1. *Finis generalis* respicit Civitatis constitutionem; *At specialis* ulterius progreditur & civitatis jam constitutæ conservationem attendit.

2. *Finis generalis, cum potissimum respiciat utilitatem, ideò à nonnullis secundarius audit & reverà quoq; est, quum*  
honestè



honestatis ante omnia ratio sit habenda tanquam finis primarii.

Θέσις X. In Civitate reperiuntur Cives, qui sunt Civitatis socii jurium & immunitatum illius participes.

Ἐκθεσις I. *Qui in Civitate vivunt, non statim cives sunt; at qui cives sunt, illi etiam in Civitate vivunt.* Aliàs in Civitate possunt esse servi, inquilini, hospites, qui tamen propterea cives non sunt.

2. *Cives dicuntur socii.* Quod enim genus in abstracto abstracti est, illud etiam genus concreti in concreto erit. At Civitatis in abstracto Genus erat societas, Ergò civis in concreto Genus erit socius.

3. *Definitur verò civis à nobis in genere, non habitò respectu ad certum Reipubl. statum, seu Democraticum seu Polyarchicum seu Monarchicum, sed prout quilibet verus Civis jura & immunitates Civitatis obtinet.*

Θέσις XI. Dividitur civis in Originarium, seu natiuitate talem; & receptum seu assumptum.

Ἐκθεσις I. Ita civis ratione causæ Efficientis dividitur. Est verò Originarius Gr. ἀρχῆθεν qui natiuitate civis est, vel à patre aut avo, vel ab utroq; Parente, vel ab alterutro tantum, & pro naturâ familiæ, in qua natus est, dicitur *vel patritius ein Stad Junckerl vel plebejus, qui parentibus plebejis natus est.*

2. *Receptus est, qui consensu & suffragio Magistratus jure civitatis est donatus.* Græcè dicitur *παροικῶν* & cohabitator, incola seu accola, Germ. ein Salt-Bürger, Pfahl-Bürger.

Θέσις XII. Porrò civis est vel universalis vel particularis.

Ἐκθεσις I. *Universalis est, qui totius alicujus regni seu Reipubl. civis est.* Ita omnes Germani sunt Cives Imperii Romani.

2. *Particularis est iterum in duplici differentia. Vel enim est Urbanus, qui intra mœnia civitatis habitat; vel suburbanus, qui extra muros in suburbiis habitat.*

Θέσις



Θίσι, XIII. Deniq; civis vel est plenus, vel semi-  
plenus.

Ἐξ ἧσιν. 1. Plenus est, qui jura civitatis integra & ex toto  
obtinet quoad plenariam tūm possessionem, tūm usurpationem aut  
fruitionem.

2. Semipleni multi sunt, quibus jus civitatis ex parte tan-  
tūm competit, vel honoris causa, qui tamen propterea nullō im-  
periō aut necessariō munere vel onere tenentur; vel confede-  
rationis ergō propter mutuū fœdus.

3. Tandem semipleni & magis quā semipleni sunt inqvi-  
lini, qui negotiorum causa aliqua in Civitate versantur, ita ut  
præter jus habitandi nil amplius habeant, & vel sunt liberiores  
ut studiosi, milites & alia persona peregrinantes; vel astrictiores,  
ut sunt negotiatores, opificum ministri, servi, ancillæ &c. Et  
hi ultimi propriè non sunt cives.

4. Ultimō utut istæ civis divisiones satis bonæ sint, ni-  
hilominus tamen non semper hodiè ex illis de civibus judici-  
um est ferendum. Ex arbitrio enim, more, lege & consuetu-  
dine cujusq; civitatis jus & privilegium civis pleni & non ple-  
ni definiendum & determinandum est.

## SECTIO II. ΖΗΤΗΤΙΚΗ.

### Quest. I. An familia prior Civitate.

**H**Oc ζήτημα unicā absolvi poterit distinctione, inter prio-  
ritatem originis & dignitatis si distingvamus. Ratione ori-  
ginis prior est familia, quā Civitas, tūm quia prior fit, tūm  
quia materia civitatis est. Rectè ait Bodinus lib. 1. de republ.  
cap. 6. quemadmodum fundamenta per se ipsa consistere possunt, pri-  
usquam parietes altius exsurgunt: sic familiae sibi ipsi constant sine  
Republica. At dignitatem si respicias, ignobiliorem & postero-  
rem civitate familiam deprehendes. Totum enim est & comple-  
tum quid civitas, cujus familiæ saltem partes sunt, adeoq;  
incompletum quid. Dicunt verò nonnulli, civitatem quoq;  
natura priorem esse familiā, quū à naturā civitas prius in-  
tendatur, quā domus. Sed in termino tantū naturæ lu-  
sus est. Aut enim prioritas illa intelligitur ratione naturæ  
gene-



*generantis, aut ratione naturæ intendentis. Quum natura perfectius semper intendat, ideò dicendum quoque hoc modo Civitatem naturam priorem esse ipsam familiam; At ratione naturæ generantis natura est & manet prior familia.*

*Qv. II. Quot Personæ ad familiam constituendam requirantur?*

*Tres secundum Philosophum, nempe Dominus seu Maritus, uxor & servus sive serva. Quot enim personæ requiruntur ad constitutionem societatis nuptialis & herilis, tot quoque ad constitutionem familiæ sunt necessariae; Tres autem ad minimum requiruntur personæ ad societatis herilis & nuptialis constitutionem, Ergò. Fallit itaque Bodinus lib. 1. de Republ. cap. 2. & qui cum eo faciunt, existimantes ad familiæ constitutionem quinque personas necessarias esse, eò quod præter tres, quas requirit collegium, insuper Pater & mater familias ad familiam requiratur. Neque patrociniatur Bodino philosophus lib. 1. Pol. c. 3. qui tribus illis Patrem & liberos annumerat. Nam quod patrem attinet, ille peculiarem personam non facit, quum à Domino & marito non differat, liberi vero utut familiæ pars esse possint, non tamen sunt pars Essentialis sed integralis; non principalis, sed minus principalis. Ut enim manus, digitus aut pes ad hominis non spectant essentialiter; ita nec liberi ad Essentialitatem familiæ.*

*Qv. III. An Urbes mœnibus, turribus, arcibus, aliisque propugnaculis sint muniendæ?*

*Affirmativam tuemur facile partim ex naturæ ductu, quæ nobis tuta loca quærere non tantum jubet, sed & ipsa suppeditat, bestiis sua præparat lustra, in quibus tuto latitent; aves securioribus in locis nidulantur, & homo quibusvis hostibus se deripiendum aut bestiis dilaniandum præbere vellet; partim ab urbium constitutione. Quam, quæso, ob causam aliam, urbes sunt constitutæ & primum conditæ, quam ut securitatem pariant civibus? Quomodo verò cives possunt esse tuti adversus belluarum immanitatem, hostium incursiones, direptiones, aliasque injurias, si urbs mœnibus sit destituta? Mœ-*



nia namq; hostes nonnunquam ab oppugnatione arcent, terrorem incutiunt, eosq; à nefariis molitionibus violenter abstrahunt. Et quæ in realia differrent urbes à pagis, si mœnibus aut munitionibus essent destitutæ? Curiose itaq; magis quàm fructuose negativam quæstionis tuetur *Machiavellus*, & qui ejus legunt vestigia, eò quod mœnia & propugnacula plus obfint regnis, quàm profint, dum populum ad rebellionem, hostes ad invasionem invitant & ipsorum civium animos in muris confidentium effœminatos reddunt. Hæc enim omnia fieri ex accidente, non verò per se propter abusum pessimum; non propter usum legitimum, quis non videt? sicut autem absolum foret, si quis contenderet, ædes parietibus non esse circumdandas, forsitan ut incolæ vigilantiores essent: ita peræquè absurdum, si quis propterea, quod futuram civium sordiam metueret, urbem sine omni munimento constitutam cuperet, cum si potentiores eam oppugnarent, facile in hostium manû sic deveniret. Quando dicit *porro*, civitatem viris non lateribus cinctâ esse debere; confundit ea, confundenda non sunt, & opponit, quæ non sunt opponenda, sed potiù sibi invicem subordinanda. In *Tertio*, quod civitas muris cincta sit pulcrum conclavè mulierum, scepticè magis procedit, quàm veritatis dicendæ causa, necquicquam tales scepticismi confirmationis habere possunt. Quod *tandè quarto* urget, vix hodiè urbes adeò munitas reperiri, quæ diuturnam obsidionem ferre queant propter bellicarum machinarum usum & aliam sive vim sive fraudè, quæ in hostium potestatem non veniant; illud itidem de eventu loquitur, non de re ipsa in se spectata. Sciat tamen & hoc, quod melius sit, opponere muros machinis bellicis, quàm nuda ædificia aut ipsa virorum sive militum corpora. Et quibus machinis urgent hostes, muros & propugnacula, iisdem ab ipsis muris ac propugnaculis urgeri & arceri possunt hostes. Miror ergò, quod *Machiavellus* hac in parte *λίαν ἀρχαίως* judicavit, quùm aliàs nimis callidè suum instruxerit Principem, nisi, quod omninò dicendum, eum contradicendi libidine, ut *semper contrarius esset, hoc fecisse.*

Q. IV. An



*Qv. IV An Porta & muri urbis rectè numerentur inter res sanctas?*

Apud Veteres muros inviolabiles fuisse, historia testatur. Ideoq; prohibebant, ne quis muros violaret aut transcenderet, neve muri aut portæ habitarentur sine permisso Magistratus, partim propter incendia, partim propter alia pericula. Hinc cum Remus Romuli frater, Martis & Iliæ filius, mœnia urbis Romæ per contemptum transcendisset, Romulus iræ impatiens eum interemit. Unde Poëta: Fraternali maduerunt sanguine muri. Ut autem veritas quæstionis pateat Distinctionis temperis opus est, nempe quod aliud sanctum sit propriè; & aliud impropriè. Muri quidem non sunt sancti propriè, prout sanctum idem est, ac non profanum; sunt tamen sancti impropriè tales, quatenus sanctum idem est, quod inviolabile.

*Qv. V. An in Civitate Asyla sint instituenda?*

In populo Israëlítico, ubi terram Canaan auxilio divino occupaverat, jubebat Deus fieri asyla, Quorsum fugerent non spontè peccantes, aut homicidium committentes, ne forsitan proximus ejus, cujus effusus est sanguis dolore stimulatus, persequatur & apprehendat eum percutiatq; ejus animam, qui non est reus mortis. *Deut. 19. 2. seq.* Verùm cum hodiè amplius cognatis occisi non concedatur privatò vindictæ studio homicidam interficere, quæ causa in populo Israëlítico Asylorum erat, idèò sublatà causa effectus quodq; tollendus erit. Accedit & huc præceptum divinum *Exod. 21. 14.* ubi expressè jubet ab altari avellere eum, qui datà operà, & ex insidiis proximum interfecisset; adèò non meretur beneficio legis uti, qui contra Legis Autorem committit. Et sanè, quot homicidia forent in Civitate, si immunitas peccandi speranda? Quem itaq; ab usum, cum Justinianus Imperator videret, latam illam & amplam asylorum immunitatem contraxit, Præfecto suo scribens, ut Homicidas, Adulteros & virginum raptos omninò puniret, nec eos pateretur ullis asylorum privilegiis frui, eò quod Republicæ obsessent. Hanc quidem Justinianeam asylorum contractionem jus Pontificium enervavit, sed irritò conatu & ex



contradicendi libidine. *Innocentius III. ad Regem Scotorum*  
*scribit*: Nemo ab Ecclesia rapiatur, quantumvis gravia com-  
miserit. Postea etiam sanxit, ut, qui se ad Ecclesias recepe-  
rint, si postea liberentur, non possent amplius poena corporis  
multari ejus criminis causa, sed tantum aliis quibusdam poe-  
nis civilibus, hac tamen lege Ecclesiae praefecti illos reddant,  
ut cautionem prius a Magistratu accipiant, nolle se illos inter-  
ficere. *Nec juvat eos superstitione Gentilium de avibus ab asylo*  
*non ejiciendis, nisi ejusdem superstitionis reos se facere velint.*  
*Nec est, quod hac in parte suam praetendere velint pietatem & mi-*  
*sericordiam, cum alias satis crudeles & hominum Deorumque*  
*sint contemtores. Justitia administranda est, boni praemiis,*  
*mali vero poenis afficiendi.*

*Qu. VI. An conducat peregrinos in Civitatem recipi?*

Ultero citroque hic disputant Politici, & quamvis nos quaestio-  
nis negativam simpliciter tueri nolimus, cautionem tamen  
magnam adhibendam esse magistratui existimamus, ne simpli-  
citer omnes recipiantur, nec indifferenter omnes a societate ci-  
vili arceantur. Natura namque ipsa inter homines societates  
constituit mutuas, non tantum inter homines in societate jam  
videntes, sed quam maxime inter eos, qui in una consocietate  
sunt uniendo. Hinc *Romulus* suam Civitatem conflasse dicitur  
non ex uno genere hominum, sed tum ex Albanis, tum pere-  
grinis, & auxisse postmodum eandem etiam hostibus foederibus  
transactis bellis in numerum civium ascriptis. Si qui enim a fue-  
rint, qui vel agris vel hortis sedulo excolendis, vel opificiis uti-  
libus exercendis, vel negotiationibus frequentandis aliisque ho-  
nestis studiis & artibus Rempublicam ditare, ornare & amplifi-  
care ejusque salutem promovere, qui secundum receptas Reipubl.  
leges per omnia vivere, & sedem fixam ibi constituere velint,  
illorum cum perceperit Civitas commoda, incommoda quoque  
ut ferat, necessum est, sin vero fuerint quidam, qui justas ob cau-  
sas ex aliis Rebuspubl. sunt exclusi, qui ignavi & fruges tantum  
consumere nati, qui improbi & flagitiosi, suorumque morum cor-  
ruptela & contagio cives inficere possunt, illi nec tolerandi nec  
recipiendi.

*Qu. VII. An*



*Qv. VII. An Zigari in Republica tolerandi?*

*Zigari dicuntur à Zigeo, quod nihil aliud est, quàm manipulus furum & colluvies otiosorum & fraudulentorum hominum, ex variis nationibus non ita remotis, sed vicinis collecta ut Camerarius eos describit, cent. 1. med. hist. c. 17. Et hos multas ob causas Comitiorum imperialium constitutio prohibet, ne in ulla Republica benè constituta tolerentur. Sunt enim præstigiatores, qui suis præfagiis vanis homines ludunt & pecuniis emungunt, spoliis & rapinis student, in locis desertis homines nonnunquam per vim adoriuntur & plerumq; sunt exploratores patriæ. Tantum itaq; abest ut tales sint ferendi, ut potius ultimò afficiendi supplicio.*

*Qv. IIX. An Judæi in Civitatem admittendi?*

*Multi Politicorū Judæorum Patroni existunt, eosq; tolerandos esse in corpore civitatis, at non in corpore spiritualitatis, asserere non dubitant. Dicunt eos quondam à DEo in peculium suum assumptos, à sanctissimis patriarchis natos, ab illis salutem ad nos derivatam, & Christum ex iis natum esse, ideoq; Christianorum esse, operam dare, ut eos Christo lucrifaciant, non verò civitate ejiciant. Sed quum Judæi sint blasphemii in Christum, hostes Christi & Christianorum ἀσυνδοί, adeoque hæreticis longè deteriores, ideo sicuti nonnunquam hæreticus ob unicum tantum articulum fidei fundamentalem negatum ultimò afficitur supplicio, ita & judæi, si tali supplicio non afficiendi, ad minimum tamen in Republica non tolerandi. Nec rationes à parte adversa adductæ tanti momenti sunt, ut illis fidem adhibere quis possit. Ratio potissima eorum hæc videtur esse, quam tamen non proferunt, ut Rempublicam vel potius suam arculam propriam admisis illis sceleribus & blasphemiiis in Christum, locupletent; At sic mala permittunt, ut bona inde eveniant. Quod priorem attinet distinctionem illa aut absurda aut nulla. Absurda, si in corpus civitatis admittendi judæi, non verò in corpus spirituale. In corpus spirituale admitti possent, dummodo velint, sed ipsi hoc non expetunt; Quia verò hoc non desiderant, illius participes nec esse poterunt, ne cum Machiavello Civitatem sine omni religione atq; virtute concedere velimus. Nulla est hoc in passu, aliàs extra hunc casum*



eam admitti posse, non negamus, quia ipsimet largiuntur, tanquam infames in civitate eos habendos, nec ullius dignitatis capaces esse debere. Qui autem ita in civitate est, membrum civitatis non est, infamis enim ex civitate excludendus. Ergo & judæi juxta propriam hanc concessionem. Quod à Deo in peculium assumpti, & à sanctissimis Patriarchis nati sunt, causæ eorum non fert patrocinium. Illud enim quondam valebat, non hodiè; imo si Dei peculium esse velint, in fœdere manere Messiamq; promissum recipere, non blasphemare, diris devovere, execrari, impotentem Deum, populi seductorem, suspensum latronem nuncupare debuissent. Et quia hoc omne fecerunt, ideò majori digni sunt supplicio. Exiit quidem salus ex Sion, sed à Sione non recepta; Sion debuissent manere, mansissent & illi cives Palæstinæ tum temporalis tum æternæ, nec ita dispersi hodiè essent in omnes gentes.

*Qv. IX. An Civis rectè describatur, quod sit homoliber, qui summa alterius potestati obligatur?*

Ita quidem civem describit Bodinus lib. 1. de Republ. c. 6. cum quo facit etiam Reinb. König part. 1. theatr. pol. c. 1. sed descriptio hæc latior est suò definitio, cum hac ratione nec inquilini, nec hospites, nec peregrini è numero civium sint eximendi, quos tamen ipse Bodinus aliàs excludit.

*Qv. X. An Aristoteles lib. 3. Pol. c. 1. ad civem rectè requirat, ut habeat jus suffragiorum?*

Ut illa Bodini lata nimis erat definitio, ita hæc nimis stricta videtur, cum non de omni Republica, nec de Monarchia, nec Oligarchia, sed unicè de Democratia verificari possit. Hinc excusant philosophum Politici, vel eum locutum esse de cive non in republica constituta vivente, sed si Respubl. fuerit constituenda, habere utiq; civem Jus suffragii, ut posset vel in hanc vel illam Reipubl. formam consentire; vel loqui Aristotelem unicè de Democratia, & sic omninò definitio vera. In genere tamen, si cujuscunq; Reipubl. civis esse debeat, paulò aliter est definiendus, quod & à nobis suprâ factum.

*Qv. XI. An quis duarum civitatum civis esse possit?*

*Supponendum hic 1. non sermonem esse de cive originario seu*



*seu natiuitate tali; sed de assumpto seu incola.* Ille duarum ciuitatum civis bene esse potest, unius scilicet originarius, quia origo iuris naturalis est, quod semper firmum manet, & alterius incola. Sed *hic esse non potest. 2. non queri de cive incompleto, honorario sive inquilino, sed de completo, pleno atq; vero,* qui non tantum secundum forum ut praesides Provinciales, nec tantum secundum munera & honores, sed & secundum corpus, opus & bona civitati uni annectitur. 3. *ratione Civitatum non queritur de municipiis subordinatis uni principi subjectis; sed de duabus aut diversis civitatibus inter se dissentientibus.* Atq; ita, sicut unum membrum duorum corporum esse non potest: ita nec unus civis, qui membrum civitatis est, duarum Civitatum. Et sicut juxta Christi effatum nemo duobus servire potest dominis disensum inter se colentibus: ita nec diversis & inter se pugnantibus civitatibus opitulari unus poterit. Quantum enim opis vel per se vel per auxilia sua affert uni, tantum impugnat alteram, adeoq; neutri debitum praestare potest officium, cum operas suas utrinq; dividere cogatur. Quisq; civium tenetur & corpore & bonis patriae suae prodesse, nec abesse debet a publicis consiliis, haec consilia, si quis duarum civitatum civis vel detexerit vel non, simul fit periurus & proditor alterius Civitatis. Hinc Cicero praecleara vocat iura atq; divinitus jam a principio Romani nominis a Majoribus comparata, ne quis Romanorum plus quam unius, cuius vivat, civitatis esse possit.

*Qv. XII. An eadem ratio sit Viri boni & civis boni?*

Negat hoc ipsum Philosophus & inter utrumq; hanc dat differentiam quod vir bonus res honestas agere eligat honestatis gratia; Civis vero bonus suam intendat conservare societatem, lib. 3. Polit. c. 4. Distingvit tamen & ipse Respublicas. Quod si enim republ. fuerit bona, convenire inter se dicit virum bonum & civem bonum; sin vero corrupta fuerit Republ. non convenire. Opponi hic posset diversitatis ratio negata, quod inter civem bonum & virum bonum nulla sit diversitatis ratio, neq; in subjecto, quia quicumq; Vir est, ille etiam civis est, & qui civis est, Vir quoq; esse debet, quum mulieres Civitatis jure per se non gaudeant; neq; in apposito, quia bonum, quatenus tale,



tale, nullam admittit differentiam. *Verum Resp. 1. Falsum esse, nullam dari diversitatis rationem.* Diversitatem dedit ipse Philosophus l. c. jamdudum. 2. *Falsum est & hoc, dari reciprocationem inter Virum & civem.* Etiam rusticus aut servus Vir est, non tamen propterea civis. 3. si bonum uno eodemq; sumatur modo, concedimus in eo nullam esse differentiam; quatenus autem cum apposito spectatur, mutatur illud juxta substratam materiam, adeo ut ad rem ipsam applicatum bonum, modo sit Essentialiter, modo naturaliter, modo moraliter tale.

*Qv. XIII. An Opifex & Mercenarius sint cives?*

*Non videtur neganda hæc quaestio, dummodo veram civis definitionem supra notatam assumamus, prout civis jurium & immunitatum civitatis particeps est.* Ex mente quidem Aristotelis talis non foret Opifex aut Mercenarius, quia suffragiorum particeps non est. Nihilominus tamen civis in adæquato sensu sumptus etiam mercenarius & opifex esse potest. Et unde, quæso, haberet alimenta, unde alia ad vitam necessaria, absq; opificibus, agricolis & mercenariis si foret? *Quod quidam objiciunt, versari ejusmodi homines circa res illiberales, id simpliciter verum non est.* Comparatè quidem loquendo, liberali ingenio magis Virtutis studium competit, quam officina mechanica, in se tamen adhuc ista etiam cum virtute stare possunt, quamvis ex accidente artifices vitiosi fiant.

*Qv. XIII. An Mendici, otiosi & vagi in Civitate ferendi?*

*Mendici vel sunt robusti & sano corpore; vel debiles & infirmi.* Hi non tantum ferendi sed & in Nosocomiis alendi; illi vero robusti, otiosi & vagi, qui labores fugiunt, improbi, leves, fraudulentis & petulantes Reipublicæ & sibi perniciosi ad instar fucorum circa alvearia volitantium à Civitate sunt arcendi. Hinc *Plato lib. 2. de leg. sancivit: Nemo nostra in Civitate mendicus esto: Quisquis id tentaverit, & miserabilibus precibus stipem victumq; collegerit, eum præfecti è foro, ediles totâ urbe, agrorum præfecti totâ regione exterminent.*

T A N T U M!











*Munificent*  
**CLEMENTIA**  
 nedum duc  
 vare, potuis  
**PRINCEPS** E  
 in decursu,  
**BENEFICEN**  
*Disputatio*  
 jure eas pe  
*magne ac*  
 rum meor  
 fundus in  
 non posfr  
 licet! forf  
 meum cor  
 vus tantur  
 qui splenc  
 lubenter  
 quod **SE**  
 hoc novi,  
 bo tulisse  
 Sen  
*Ipsis, jux*  
 plicant, &  
**Darius**

*enignitate atq;*  
 trum quidem,  
 sq; operam na  
 io, *Serenissime*  
 beneficō, hujus  
 erfectum, *Tue*  
 em itaq; potius  
 d quem potiori  
**TE ELECTOR**  
 ut fructus labo  
 entur soli, cujus  
 vam aliō vertere  
 e videar. Erunt,  
 in partem hunc  
 Ego Homo no  
 audeam, quippe  
 sit. Equidem pel  
 nanum donum,  
 sit: attamen &  
 ssuma dona Phœ  
 tia cornu.  
 altaq; gentes sup  
 aura non habent.  
 us, pauxillulum  
 aqua

